ANTONII PRÆTI
A' Consilice,

IVRISCONSVLTI
Pontificium ius Pisis mane
Profitentis,

DE CLERICORVM
Præstantia

Breuis Tractatus perquàm vtilis.



LVCAE APVD V. BVSD.
M D LXV.

Reuerendissimo ; ac RELIGIOSISSIMO Domino Alexandro

Guiducciono

EPISCOPO LVCENSI.



ANTONIVS PRÆTVS.
S. P. D.



VM iam diu, Reuerendissime Antistes, per varios vsus mihi compertum fuerit exemplo monstrante viam, quàm paruæ existimationis passim Clerici, & alii id genus Religiosi penes Laicos semper fuerint, licet status dignitatis eorum vlla legum autoritate neque diminutus, neque consumptus fuerit, & ego quam facillimè perspexi, cum iam multis annis (vt omnes facilè norunt) Episcoporum vices gesserim, vnde multa euenerunt, ex quibus cognoscere potui illud vulgare: quod tradit antiquitas. Clericis scilicet Laicos oppidò semper fuisse

se infestos: de re huiusmodi sæpe colloquiũ cum viris doctissimis, haud quidem incommodum habui, quæsiuimus enim inter nos huiusce rei causam, & pariter id admirati admodum fuimus, cum nemo mortalium ferè inueniatur, qui vel agellis, vel agris quoque magnis cuiusuis Sacerdotii, non fruatur, vel proprii filii, nepotisuè sacerdotium obtinentis prouentu, immo à quolibet patrefamilias sacerdotia ipsa eriguntur, cultuiq; diuino dedicantur, vt & sacrorum cura, & fructuum ipsorum perceptio ad solam gentem, familiamq; suam perpetuis successionibus deuoluantur: quod sacerdotiorum genus à priscis gentilia sacerdotia a nostris beneficia Iuris patronatus appellata sunt, hæc in hunc modum conferentes variè sentiebamus, nec hunc quidem sententiæ nostræ nobis ipsis nodum soluere videbantur: quo factum est, vt quàm sæpissimè ab eis rogatus fuerim, vt huius rei dilucidandæ onus susciperem: fortè enim me magis ad hoc idoneum putabant, cum quotidie in hac re versari me videbant, semper tamen recusaui, tum quia me multæ impediebant curæ, quæ meum animum in diuersa trahebant, ni audiendis siquidem causis in litibus extricandis, re gestis euoluendis,

ac

ac aliis multis, præcipue iuribus pontificiis, manè interpretandis præpeditus in hoc negocium incumbere minimè poteram, tùm etiam ab hac prouincia retrahebar, ne multorum odium incurrerem: Cogebar enim necessitate quadam in hac re declaranda libertatem præstantiam, & nobilitatem clericorum ostendere; ex quibus (vt reor) inter alia infestatio huiusmodi iam diu prouenit in Clericos, tandem quodãmodo coactus ab his: qui mihi magna necessitudine sunt coniuncti, & quorum iussa mihi capessere fas est, hoc onus subii: quod quidem licet sit impar ingenii mei viribus, quoad tamen facere potui satis (ni fallor) eis feci. Nam discurrendo per scripturas sacras, & sanctissimos reuoluendo Canones mihi videtur hac mea lucubratione rem satis claram fecisse, & tenebras ademisse, Verum cum homo quilibet in re propria, per quam facilè decipi posit, suæ namq; quisq; solet nimis fauere inuentioni; Opusculum istud in lucem ædere nolui, priusquàm alicuius doctissimi, ac religiosissimi viri sano subiiciam iudicio, qui castigatum, & emendatum prælo imprimendum Calcographo tradat: deinde impressum autoritate sua defendat ab his, qui lucubrationes aliorum

qualescunq;

qualescunq; sint propria natura mordere solent. Ob id inter alios tu mihi solus occurristi, cuius censuræ, & singulari iudicio hunc meum laborem credere volui: non enim ignoro te mei semper studiosissimum Dominum fuisse, ego autem te colo, veneror, & obseruo; Quapropter huiusmodi lucubratiunculam tibi dicandam duxi, vt ob hoc ipsum summo habeatur in pretio, quasi fuerit templo dicata, Sicut non inscitè scripsit Plin. Solent opera huiusmodi talibus titulis studiosorum affectibus commendari. Te igitur etiam atq; etiam rogatum velim, vt hanc quasi fœtum meum, qua me soles, benignitate suscipias, & autoritatis tuæ grauitate ab inuidorum morsibus defendas. Vale.

ANTONII PRÆTI, PRÆFATIO
In Tractatum
DE PRAESTANTIA CLERICORUM,
Pio Lectori.



VIS QVIS exactißimè Præstantiam Clericorum cognoscere desiderat, & eorum officium, ac vitam, Diuum Hyeronimum ad Nepotianum; Isidorum, de vita Clericorum, cæterosque Patres, tam eruditione quàm vitæ sanctitate clarißimos perlegere non pigeat, hac enim de re fusius scripserunt; Mihi autem nunc scribenti de eadem re sat erit quædam carptim delibare, ex quibus summatim ostendam his, qui iam diu Clericis ipsis infesti fuerunt, & in dies magis esse videntur, quàm velut errones à via mandatorũ Domini periculosè fuerint digreßi: Zelus enim domus Domini comedit me; & præsertim cum videam opprobria exprobrantium Clericis eius ministris subinde crescere: & super eos cadere. Iccirco cum de re tam seria strictim sim acturus, nimirum, De Præstantia Clericorum, *Originem eorum, veluti dignius, ac firmius fundamentum præponendam esse duxi, sicut materiam digniorem quicunque librum ædere velit, præponere debet. Contextu tamen ipsius id exigente; Ea namque cognita fortè malæ digreßionis cõmoniti pedes ad rectam mandatorum viam referent; quos antiquitas tradit Clericis oppidò infestos fuisse; his autem præcognitis de ordine agemus seruando, maximè in seßionibus, & proceßionibus; Nam Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominũq; dispensat, nobis ostendere voluit omnia suo ordine gubernanda esse: quod etiam Paulus, præcepit dicens; Omnia honestè, & secundum ordinem fiant in vobis; Nam vbi ordo deficit inde nihil boni emergere solet, & vbi nullus est ordo, sempi-*

ternus.

ternus horror inhabitat. Est autem ordo; Modus agendi, sine quo nihil rectè agitur. Cum igitur ordo sit rebus in omnibus seruandus ad sedandas discordias, quæ subinde in collegiis hac de causa oriri solent, nonnulla de ordine huiusmodi perstringere volui. Omnium autem hæc summa sit, illum debere præferri, qui primi gradus Clericus est, & qui prius dignitatem adeptus est, cuiuscunque generis sit, quod cæteris paribus intelligi debere omnes fateri debent, & ideo, quo ad Clericos & Laicos, qui quandoque concurrere solent, vt rectè ordo huiusmodi seruetur, Clericorum Prastantia imprimis est consideranda: qua cognita, & bene perspecta haud dubium cessabit omnis Ambiguitas, & inanis ambitio euanescet. Vale.

Antonii Præti Tract.

DE PRÆSTANTIA CLERICORVM.



SVMMARIVM.

De Clericis in genere, & de eorum Ethymologia.
Caput I.

EPITOME.





1 CLEROS Græcè Latinè, quid significet.
Canon. cap. Cleros xxi.
2 Distinct, quos comprætendat.
3 Episcoporum, quot sint species.
4 Clericorum appellatione, qui veniant.
5 Quis fuit primus Clericus, & Episcopus ab Apostolis ordinatus.
6 Christus solo verbo dabat potestatem ordinum, & quomodo.
7 Christum ordinasse Clericos, quare non legitur in Euangelio.
8 Ecclesia á quo fuit fundata: & á quo post lapsum Adami cæpit.

1 *CLEROS Græcè Latinè † sors dicitur, vel hæreditas: siue quia sorte electus Mathias fuit, inde Clerici sortiti, quia sunt de sorte Domini; vel quia Dominus ipse sors; id est pars Clericorum est: Isydorus ait lib. vij. Ethym. & legimus xxi. Distin.*
2 *Cap. Cleros: Canon iste loquitur † generatim de Cle-*
3 *ricis; & item de Episcopis, quorum † species sunt: Patriarchæ, Archiepiscopi, Metropolitani, siue primates, omnes isti Antistites Pontifices dicuntur,*
4 *appellatione autem † Clericorum veniunt Sacerdotes, qui & flamines ex Præsbiteri censentur, Diacones siue Leuitæ Subdiacones, qui & Hippodiacones appellantur, lectores quoque, & Psalmistæ, qui pronuntiatores vocantur, & item cantores, qui & præcentores, succintores, & concentores sub se continent, veniunt etiam accoliti, exorcistæ, & hostiarij, & horum nomina, ethymologia, signifi-*
5 *catio, & officium ibi habetur: Primus autem † Clericus ordinatus ab Apostolis fuit Mathias, & primus Episcopus fuit Iacobus, nam ante ipsos Aposto-*
6 *los Christus † sola aßumptione, & verbo dabat ordinum potestatem cap. i. xxi. distinct. quia Christus habuit in dispensatione ordinum potestatem eccellentiæ. Ideo potuit conferre effectum sacramenti sine formali sacramento: Non enim indigebat in institutione Sacramentorum Ecclesiæ aliqua sanctificatione, & consacratione, sed solo verbo (vt dixi) quia ipse erat verbum Ioan. cap. 1. vel electione eos instituebat*

tuebat, & sanctificabat ipsos Apostolos ad præsbiteratum, & alios ordines cap. in nouo. xxi. distinct. cap. i. De summa Trin. & fid. Catho. & licet ex-
7 presse † non legatur in Euangelio Christum ordinasse, tamen multa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro Euangeliorum, vt ipsi Euangelistæ testantur: Christus ergo hoc faciebat fundando Ecclesiam
8 suam. † Nam sicut fuit fundata in primo homine in statu innocentiæ creato de pœnit. distinct. ii. §. Adam cap. quomodo &c. Princeps: Ob id Apostolus Rom. v. dixit ipsum Adamum formam futuri, id est Christi, cui appropriatur Ecclesia, ita ab ipso, tanquam secundo Adamo, & ab eius latere, sicut Eua a latere Adami, sacramenta Ecclesiæ emanarunt, vnica, & immaculata, ac virgo sancta, Mater Ecclesia, Coniux Christi emanuit Cle. i. de sum. Trin. quæ post lapsum ipsius Adami cæpit in ipso Abelle, vt dicit Augustinus, exponens Psalmum cxviij. videlicet in initio, Cognoui de testimonijs tuis, quia in æternum fundasti ea, & loquitur de Ecclesia, quæ in terris non defuit ab initio generis humani, cuius primitiæ Abel sanctus fuit imolatus, & ipse in testimonium futuri sanguinis mediatoris ab impio fratre fundendi, nam & illud ab initio dictum est, erunt duo in carne vna, quod magnum Sacramentum Apostolus Paulus exponens: Ego (inquit) dico in Christo, & in Ecclesia.

SVMMARIVM

De prima Tonsura Clericorum, & de eius effectu Cap. II.

EPITOME.

1 PRimæ Tonsuræ effectus quis sit.
2 Corona Clerici í capite quid significet.
3 Insignia Clericorum an per degradationẽ deponantur.
4 In tonsuratione, quid Clerici dicant.
5 Priuilegium fori, quando Clerici consequantur.
6 Simoni mago, quid fuerit obiectum.
7 Per Clericatum mutatur persona, & quomodo.
8 Laici, an excludantur à sorte Domini.
9 Clerici, quarè magis de sorte Domini dicantur.

1 *PORrò ipsi Clerici † per primam Tonsuram de sorte DEI efficiuntur, & Deo dedicantur, vnde coronam in capite gestant in signum regni, quo signantur in partem sortis ministerij diuini, Corona*
2 *† namq; regale decus significat, quia seruire Deo regnare est, Caput enim abrasum habent, quasi omnium temporalium depositionem significans c. Duo*
3 *sunt xij. q. i. & ideo indegradatione etiam † Clerici talia*

talia insignia deponunt, nam eis auferuntur per capitis abrasionem c. ij. de Pæn. lib. vi. Nam quando
4 *† Clerici huiusmodi tonsurantur in ipsa ordinatione dicunt versiculum Psalmi xv. nempè: Dominus pars hæreditatis meæ, tu es, qui restitues hæredita-*
5 *tem meam mihi: Tunc Episcopus † pronuntiat eos admonens, quòd effecti sunt de foro Ecclesiæ, & priuilegia clericalia sortiri sunt, Ideo caueant, inquit, Episcopus, ne culpa sua ea perdant, & habitu honesto, ac bonis moribus, & operibus ipsis Deo placere studeant, ne eis obijciatur, non est vobis sors, neque pars Domini in habitu, moribus, & operibus*
6 *istis, sicut obiectum fuit in simili † Simoni Mago in sermone illo, quo demonstrabat se velle emere pæcunia Spiritum sanctum, quia cor eius non erat rectũ coram DEO, Ideo dictum ei fuit, pæcunia tua tecum sit in perditione, vt legimus in Actis Apostol.*
7 *cap. viij. quo fit, quòd per clericatum huiusmodi † totalis comutatio personæ efficitur: fiunt enim ministri Ecclesiæ clerici, sic tonsurati, & dicuntur genus electum, & regale sacerdotium, inquit Petrus Apostolus: Ergo rectè in quibuslibet gradibus ecclesiasticis constituti clerici vocantur; vt supra diximus, per tex. in d. cap. Cleros xxi. distinct. & per gradus distinctos deseruiunt in Ecclesia Dei, & Deum Patrem habent cum sint de sorte ipsius, vt per Magistrum sentent: lib. iiii. xxiiij. distinct. in principio,*
8 *& per totum non tamen à sorte Domini † exclu-*

duntur

duntur Laici. Omnes enim, qui Christo per baptismum & fidem conglutinati sumus, & populus acquisitionis eius sumus, Ideo Propheta dixit: Pars autem Domini populus eius Iacob funiculus hæreditatis eius, sed quia † Clerici peculiari quadam ratione ministerio Dei, & Ecclesiæ dedicati sunt, delegit enim tribum Leuiticam peculiariter suo ministerio. num. 18. & Deut. cap. xviij. Ideo de sorte Domini dicuntur, ut in lege veteri Psalmo scilicet xcviij. legimus de Clericis, hoc est de Sacerdotibus nimirū Moses, & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius: Inuocabant enim Dominum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos, Samuel ab initio ætatis suæ in templo creuit, nam natus fuit apud matrem tempore lactis, mox, ut eum ablactauit dedit in templum vt ibi cresceret, ibi roboraretur in spiritu, ibi Deo seruiret, vnde factus est Samuel sacerdos Magnus, sacerdos sanctus, imitentur Samuelem in Templo crescentem: qui volunt digne Deo seruire, Omnes ætates suas inter sancta Sacramenta Dei, peregit Ab ineunte ætate famulus Dei fuit, & sanctum Dauidem unxit, primo Reg. ij. xvi.

De

SVMMARIVM.

De tribus Sacerdotibus legis antiquæ, & quomodo eis loquebatur Deus, & quomodo nobis loquatur. C. III.

EPITOME.

1 MOsen, Aaronem, & Samuelem Sacerdotes fuisse scripturæ testantur, & q̃uo
2 Aaron a quo fuit creatus Sacerdos.
3 Mosen fuisse Sacerdotẽ à quo demonstratur
4 Deus quomodo loquebatur sacerdotibus antiquis, & q̃uo postea nobis loquutus fuit.
5 Sacerdotium in lege veteri, & in noua à quo sumpsit originem.
6 Institutio ministrorum Ecclesiæ à quibus fuit explicata.
7 Christi tempore quare ipsa institutio non ita fuit explicata.
8 Petrus quando fuit aliis præfectus.
9 Petrus an tempore negationis habuerit prælaturam.
10 Quis debeat in Prælatum eligi.
11 Christus quare Pontifex fuerit electus.

1 *MOses, & Aaron † & Samuel serui Dei magni fuerunt apud Patres antiquos, prout scripturæ meminerunt: De his.n.legimus Exod. c. xiiij. xxviij.i. Reg. xvi. & c.ij. Moses eduxit in virtute Dei*

Dei populũ Iſraël ex Ægipto per mare rubrum, & duxit eum in heremũ, & quanta mirabilia fecerit tunc Deus per manum Moſi omnibus manifeſtũ euadit, qui ſcripturas libenter legunt, uel in eccleſiis audiunt,
2 *vel quoquo modo diſcunt, Aaronem autem † Moſes eius frater ſacerdotem ordinauit, vt ſcripturæ te-*
3 *ſtantur: De Moſe verò † non ibi legitur, tamen Dauid Pſalmo iam citato declarat, & ipſum ſacerdotem fuiſſe oſtendit, quia maior ſacerdote eſſe non poterat, inquit Auguſtinus, fuerunt ergo prædicti fratres ambo ſacerdotes: Samuël etiam, ut in libro Regnorum legimus, fuit, & ipſe ſacerdos vnxit enim ſanctum Dauidem, unde ipſe poſtea cecinit, dicens: Moſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuël inter eos, ut ſupra dictum eſt: ſacerdotibus autem*
4 *ipſis † Deus loquebatur in columna nubis, ſacerdotibus verò noſtris loquutus eſt in ſcabello pedum ſuorum, hoc eſt in terra, aſſumpta carne, id eſt in Chriſto eius filio, vnde adoramus ſcabellum pedum eius,*
5 *quoniam ſanctum eſt. Summum † autem ſacerdotium inſtitutum fuit per Moſen ex præcepto Domini ſed miniſtrorum diſtinctio ab ipſo Dauide, & poſtea a Salomone ipſius filio, & inſtar eorum ſummum ſacerdotium nouæ legis à Chriſto ſumpſit exordium: Diſtinctio verò ſacerdotum inferiorum, quia vbi ſunt Epiſcopi, alij præsbiteri ab eodem Chriſto*
6 *cæpit: poſtea † inſtitutio prædicta ab Apoſtolis fuit diſtincta & explicata, dati enim fuerunt miniſtri*

eis

eis per eosdem Apostolos, scilicet Leuitæ, tandem mul tiplicante Ecclesia singuli ministri additi fuerunt: Nimirum subdiacones, & accoliti c.pri. & c.ij.xxi.dist.

7 *Sed distinctio huiusmodi † in vita Christi non fuit ita explicite facta, quia tunc cum Christus per se regeret Ecclesiam, nulla fuerat distinctio, seu discretio quo ad prælationem inter Christi discipulos necessaria,*

8 *quia nullus fuerat factus Prælatus, & licet † præfecerit Petrum omnibus tamen post resurrectionem hoc fecit c. considerandum l. distinct. Nam tempore ne-*

9 *gationis † Petrus non habebat prælaturam ecclesiasticam, sed dispositum fuit, ut illam haberet, hinc in*

10 *fertur † eum potius debere eligi in Prælatum, qui deliquit quàm ille qui non deliquit, ut sciat qualiter debeat alijs misereri: probatur authoritate Pauli ad Hebreos cap.iiij. dicentis: Non enim habetis Pontificem, qui non poßit compati infirmitatibus, ibi loquitur Paulus de Christo: licet Christus non deliquerit, sed delicta atque peccata nostra portauit, glos. dicit impossibile esse homini scire afflictorum afflictiones, qui afflictionis experimentum non habuit, & sensibiliter*

11 *omnia non substinuit, Christus † omnia scit, quia Deus, & quia similia substinuit, vt homo: ideo legimus in Psa. mo: Misertus est timentibus eum, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum similitudine nostri.*

SVMMARIVM.

De exordio dignitatis Rom. Pontificis, & dignitatis Episcopalis, & Præsbiteralis. Cap. IIII.

EPITOME.

1 Dignitas Rom. Pont. & Episcopalis vnde sumpsit exordium.
2 Dignitas Præsbiterorum à quibus cæpit.
3 Petrus cum omni perfectione fuit ordinatus, & quare.
4 Fundamenta Ecclesiæ à quibus processerint
5 Ecclesia quare non potuit esse sine Episcopo & quare Petrus fuerit ei præfectus.
6 Ex commissione alicuius rei, quid veniat in consequentiam.
7 In ordinatione Episcopali, quomodo olim processum fuerit.
8 Episcopus quomodo nunc ordinetur, & quando hæc ordinatio fuit decreta.
9 Forma ordinandi Episcopos, an semper fuit seruata ab Apostolis.

1 *AB ipso Petro † in nouo testamento cæpit digni-tas Romani Pontificis, Episcopalis verò cæpit ab*
2 *Apostolis: Dignitas autem † præsbiterorum a septua-ginta duobus discipulis ortum habuit c. in nouo xxi.*
3 *distin. vnde Petrus † cum omni perfectione potesta-*

tis

tis fuit ordinatus, nam DEI perfecta sunt opera, vt legitur Deut. c. xxxi. Sicut enim Deus in creatione homines perfectos fecit, ex quibus naturaliter pro
4 pagatio procedere potuit, ita Deus Apostolos, † quos tanquam principia sine fundamenta Ecclesiæ in recreatione fecit, sicut perficere debuit, vt per eos Ec-
5 clesia propagari posset, sed sine † Episcopo Ecclesia non potuit perfici: cum à solo Episcopo omnia sacramenta Ecclesiastica poßint dispensari, siue ministrari: oportuit ergo, quòd Christus summus Pontifex abstracturus ab Ecclesia suam corporalem visibilis conuersationis præsentiam aliquem loco sui vices suas agentem Pontificali dignitate præditum in Ecclesia relinqueret, & potißimè beatum Petrum, qui cæteris dignior fuit, ac sublimior, quem totius dominici gregis Pastorem ordinauerat: vnde Chrisostomus super illud Luc. c. xxiiij. apparuit Simoni dicit: Sic primo digniori, & fideliori omnibus apparuit: idem Augustinus super illud Io. c. xiij. venit ergo ad
6 Simonem Petrum. † Unde cum aliquid committitur alicui in consequentiam commissum intelligitur etiam id sine quo commissum expediri non potest. l. cui iurisdictio. ff. de iurisd. om. iud. c. præterea de off. deleg. sed pascere gregem dominicum, quem commissum Petro sancta Euangelia attestantur Io. c. xxi. perfectè nullus potest, nisi Episcopus, qui sacramentorum omnium dispensationem habet: ergo videtur, quòd cum Christus Petro pascendi gregem suam offi

 cium

cium credidit, pastorale officium, & Episcopalem dignitatem illi imposuerit, nemo vero dubitat Christum propter excellentiam potestatis, quam in sacramentis habuit rem sacramenti sine sacramento formali conferre potuisse, unde solo verbo Petrum Episcopum fecit: hinc Petrus Paluden. in Tractatu de potestate ecclesiastica dixit: Videtur esse rationabile, quòd in hunc modum processum fuerit in ordinatione
7 *Episcopali Apostolorum: † nimirum, quòd Petrus factus fuerit solus Episcopus à Christo ante Ascensionem, post autem spiritus sancti missionem, siue ipsa die prima dominica, siue alia Petrus solus ordinauit Ioannem Episcopum, deinde Petrus cum Ioanne, iam Episcopo consecrato constituit Iacobum Zebedei*
8 *Episcopum, quibus tribus sic factis Episcopis † decreuit, ut deinceps non ordinaretur aliquis in Episcopũ nisi à tribus Episcopis, ut habetur in cap. Porrò lxvi.*
9 *dist. licet propter Episcoporum paucitatem † non semper Apostoli potuerunt hanc formam seruare, ideò Paulus solus fortè Titum & Thimotheum ordinauit Episcopos, quia separatus à Barnaba non habebat secum Episcopos, nisi quos postea fecit, vt per Doct. in c. in Nouo xxi. distinct.*

SVMMARIVM.

De primo Sacerdote, & de ipsius Sacerdotis officio.
Caput V.

EPITOME.



1 CHristus fuit primus Sacerdos, & quomodo in lege noua.

2 In lege veteri quis primus Sacerdotalem locum tenuit.

3 Sacerdotis officium in quo situm habeatur, etiam inferioris.

4 Prædicandi officium Laicis, quare sit prohibitum.

5 Sacerdotis officium positum est etiam in cõficiendo corpore Christi, & quomodo.

6 Telesphori dictum pulchrum de Sacerdotibus honorandis.

7 Sacerdotes in scripturis sanctis quomodo vocentur.

8 Sinagoga, quæ proprie dicatur.

9 Ecclesiam nostram Apostoli nunquàm appellarunt Sinagogam, & quare.

10 Congregatio, & communicatio in quo differant.

11 Constantinus Imperator quo nomine Sacerdotes appellabat.

12 Sacerdotis officium tertio in quo consistit.

Oratio

QVoniam agendum est de officio Sacerdotum, videamus quis fuerit primus Sacerdos: † *CHRISTVM igitur fuisse primum sacerdotem testatur gloss. in c. quoniam x. dist. cum se ipsum obtulerit hostiam discipulis suis dicens.* Hoc est corpus meum &c. *c. Sacerdos de consecr. distin. ij. fuit etiam Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, ut legimus in Psalmo. c. ix. & sic sacerdotalis ordo à Christo cœpit; fuit enim hostia, & sacerdos. Nam sacerdotes, & reges apud Iudæos vnguento chrismatis consecrabantur, & Christi ob hoc dicebantur, sed illi exteriori vnguento materiæ corruptibilis, veluti mortales, & corruptibiles vngebantur, hunc autem singulariter plenitudine spiritus sui vnxit Deus Esai. c. lxi.*

c. lxi. Post Christum Petrus fuit primus in nouo testamento, in veteri verò lege Aaron fuit primus,
2 † habito respectu ad Petrum, non autem ad Christū, Nam iubente Deo victimas ipse Aaron obtulit, & sic in lege veteri primus accepit nomen sacerdotale.
3 Officium autem † sacerdotum etiam inferiorum est in prædicatione verbi Dei situm, quid quidem ministerium sanctissimum Apostolus cæteris omnibus præferre videtur, inquit enim prima ad Corinth. c. i. non misit me Christus baptizare, sed euangelizare, & cæteri Apostoli huic Pauli sententiæ astipulantur dicentes: Non est æquum nos relinquere verbum, & ministrare mensis: Rursus Paul. pri. Thim. c. iiij. inquit: Attende lectioni, attende exhortationi, & doctrinis, & iterum: Tu vigila, in omnibus labora, opus fac euangelistæ, prædica verbum insta opportunè, & importunè, ministerium tuum imple: Christus etiam huiusmodi ministerium alijs prætulit dicens: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, & docete omnes gentes; postea dixit: Baptizantes eos In nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti: Hoc officium † prædicationis laicis omnino est prohibitum c. sicut in uno de hæretic. Non enim decet laicos prædicādi officium vsurpare c. cum ex iniuncto eod. tit. l. nemo C. de su. tr. & fid. cath. c. quicunque. §. i. de hæret. lib. vi. Est ergo officium sa
5 cerdotale munus prædicandi. Secundò † munus sacerdotale situm est in conficiendo corpore, & sanguine

ne Christi, & cæteris sacris administrandis, nam Thelesphorus inquit in c. sacerdotes. vi.q.i. qui proprio ore corpus domini conficiunt ab omnibus obediendi,
7 *& timendi sunt, † non dilacerandi, aut detrahendi, hoc docemur ex sacris scripturis, ipse enim vocant eos aliquando Deos, vt legimus in Psalmo lxxx. Deus stetit in Sinagoga Deorum, hoc est Sacerdotum populi Israel, non enim dicere debemus Psalmographum intelligere voluisse de dijs gentium, de idolis: seu de alia præter homines cœlesti, terrestriq; creatura, quia Esaias c.i. dixit: Filios genui & exaltaui*
8 *ipsi autem spreuerunt me: ideo autem † dixit psalmus in sinagoga, vt significaret Sacerdotes de populo Israel: cum ipsius propriè sit sinagoga, quàmuis*
9 *Ecclesia etiã dicta sit, sed † nostrã Ecclesiam Apostoli nunquàm appellarunt Sinagogã, sed semper Ecclesiã,*
10 *siue discernendi, siue † quòd inter congregationem vnde sinagoga, & conuocationem, vnde Ecclesia nomen accepit, distat aliquid, quòd scilicet congr[illegible] & pecora solent: Conuocari autem magis est ut[illegible] ratione sicut sunt homines, vnde in psalmo lxxij. dic[illegible] tur quasi pecus factus sum apud te, & ego semper tecum, ista fuit vox sinagogæ, hoc est illius populi, qui non seruiuit idolis, sed pecus factus fuit à Deo suo, cui licet mancipatus videretur pro magnis, ac summis bonis ab illo carnalia, terrena, & temporalia requirebãt, nunquàm tamen recessit à DEO suo SACER-*
11 *DOTES igitur † Dij vocantur, quo factum fuit,*

quid

quòd pijßimus Conſtantinus Imperator, cum ſibi fuiſſent delatè accuſationes quorundam ſacerdotum in ſcriptis, noluit audire accuſatores ipſos, ſed comburens igni ſcripta dixit; non eſt iuſtum nos Deos iudicare: Appellantur etiam Sacerdotes Angeli Domini, vt legimus apud Malachiam c. ij. labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex hore eius, quia Angelus Domini exercituum
12 *eſt c. ſacerdotibus xi. q. i. Item ſacerdotis † officium eſt orare Deum pro totius eccleſiæ, & populi Chriſtiani proſperitate. Nam legimus in Act. Apoſtolorum. Nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes eri-*
13 *mus, Oratio verò † huiuſmodi ſumit vires apud Deũ ex virtute, efficacia, & effectu ſacramenti, quod eſt*
14 *† donum, ſeu gratia diuina clerico ordinato collata, qua quidem efficacia rata eſſe dicuntur quæcunq; ordinatus iuxta Chriſti, & eccleſiæ inſtitutionem in eccleſia gerit:* De *iſta gratia loquitur Apoſtolus Tim. 4. dicens: Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum præsbiteri, & iterum ij. Tim. c. i. Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt per im-*
15 *poſitionem manuum mearum, & hæc † gratia non tantum operatur in bonis, ſed etiam in malis ſacer-*
16 *dotibus, nam & ſi mali ſacerdotes † ſpiritu careant, quo ipſi ſancti ſint, ſpiritum ſanctum tamen habent, qui miniſterijs, quæ per eos aguntur aßiſtit; Vnde Ambroſius in epiſtola prima ad Corinth. c. xij. ſicut*

(inquit) idolorum imago in ministris eorum est ordinem suum habens per singulos gradus, totum tamen hominis est: ita & in lege diuina gradus charismatũ sunt in Ecclesiæ officijs, & postea subdit, in loco ordinis Ecclesiastici officij constituti gratiam habent, qualis uis sit, non utiq; propriam, sed ordinis per spiritus sancti efficaciam: Teophilactus itidem in illud Ioan. cap. xi. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset anni illius Pontifex prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente &c. In hunc modum ait, cũ alijs Pontificatus dignitas erat corrupta, simul ac venalitij facti fuerunt Princeps, nec vltra per omne tẽpus vnus, sed duntaxat per annum vnum sacerdotio fungeretur, & quàmuis ita corrupta foret dignitas adhuc tamen aderat gratia Spiritus sancti operãs in his, qui uncti erant, hæc ille: Verùm in bonis sacerdotib. hæc gratia non tantũ ratum facit ministeriũ sed & ordinatum iuuat, vt ordine concredito rite vtatur, estq; apud Deum causa multi meriti cumulandi, prout parabola Christi de fideli negociatore apertè declarat, Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutam, intra in gaudium Domini tui: Petrus Apost. dixit: Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, Deinde post pauca, & cũ apparuerit Princeps pastorũ percipietis imarcessibilem gloriæ coronam, & idem Pau. loquens de Diaconibus inquit: qui. n. bene ministrauerint bonum gradum sibi acquirent, & huiusmodi gratiæ causa idem Apost. pronun-

tiauit

tiauit dicens. Præsbiteros, qui bene præsunt duplici honore dignos, maximè, qui laborant in verbo, & doctrina: Cum igitur insignis sit clericalis, seu sacerdotalis dignitas non potest paucis explicari, sed te lectorẽ reijcio præter alios ad Augustinum, & Chrisostomũ quos qui legerit, ac plenè intellexerit non facilè extenuantibus, ac deprimentibus prædictam clericalem, vel sacerdotalem dignitatem aurem præbere voluerit

17 rit † Cum sacerdos Christi legatione fungatur, nec aliter laici, qui clericis oppidò sunt infesti arbitrari debẽt quàm ipsos ab ipso Christo ad ipsius, & Ecclesiæ munia exequenda mitti, ac destinari: idq; cum multa, & insigni potestate, ac virtute nimirum diuina, & ea, qua Christus missus est, nam ipse dixit, ut legimus apud Mat. c. vij. & Io. c. x. sicut misit me pater, ita mitto vos, & alibi, qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: Hic mihi considerent laici reuerentiam paganorum, & gentilium in suos sacerdotes, qui sacrificabant dijs ligneis, & lapideis: ac penitus ignotis, & tamen eis non erant infesti, quoad reuerentiam exhibendam sacerdotibus vel clericis: Non est consideranda quorundam clericorum

18 forte † vita mala, vt ex hac boni conterantur, & lædantur c. Sacerdotes, vi. q. i. c. cum ex iniuncto de hæret. Nam dixit Deus per Zacchariam. c. ij. qui vos

19 tangit, tangit quasi pupillã oculi mei † Inde inferri potest, quòd laici nõ debent iudicare clericos in foro suo, vel eis infesti esse, capere vel tangere, & multa si-

milia: quæ laicis contra clericos sunt prohibita exercere: immo clericus à laico citatus venire non tenetur ad allegandum priuilegium, nisi sit dubium, an sit clericus, gl. in cle. conuenior ver. congrueret xxiij. q. viij. c. si diligenti de for. compet. c. Nullus Episcopus, xi. q. i. & ibi glos. in tit. de citat. §. pri. versi. pone, quòd Iudex: vnde Nicolaus Papa dixit: Vobis qui laici estis de clerico, quicquid acciderit, iudicandum non est, sed Episcoporum iudicio reseruandum. c. consulendum xxviij. distin. In officijs autem huiusmodi sicut omnium rerum naturalium perfectiones præexi
20 stunt exemplariter in Deo. Ita † Christus fuit exemplar omnium officiorum ecclesiasticorum: Thom. in iiij. distinct. xxiiij. q. viij. art. pri. in responsione ad primam quæstionem versic. ad tertium dicendum: Unde dicitur, quod quisque minister Ecclesiæ quoad aliquid gerit typum Christi, Episcopus enim repræsentat Christum in hoc, quod alios ministros instituit, sacerdos verò celebrando Christum repræsentat, qui seipsum obtulit, celebrat enim in persona Christi, & sic de singulis respectiue dicendum est per singu-
21 los gradus ecclesiasticos: Gerit etiam sacerdos † stabularij vicem, quem repræsentat curando populum suũ siue parrochos suos stabulario enim Samaritanus præcepit dicens: Curam illius scilicet ægroti habe: Christus autem verus ille Samaritanus hominum custos pharmacis suis sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.

De potestate

SVMMARIVM.

De potestate Sacerdotis in conficiendo corpore Christi.
Cap. VI.

EPITOME.

1 Sacerdotis potestas vnde proueniat.
2 Quanta sit vis sermonis Domini, prolati à Sacerdote.
3 An quis mortalium posſit conficere corpus Christi sicut Sacerdos: licet proferat eadẽ verba.
4 An Sacerdos posſit diſpenſatiue de pœnitentia remittere.
5 Sacerdotes dicuntur comedere peccata populorum, & quomodo.
6 Sacerdotes omnes boni & mali conficiunt, sed differunt quoad præces mittendas, & quomodo.

1 *Potestas autem † quam Sacerdos habet in conficiendo corpore, & sanguine Christi non est ex propria virtute ipsius Sacerdotis, sed ex sermone Christi, quo etiam vinum aqua mistum transit in sanguinem; vnde Ambrosius in lib. de sacram. vt ha-*
2 *betur in cap. Panis de conſ. distin. ij. dicit, † quòd tanta vis est in sermone Domini, vt incipiant esse, quæ non erãt suo iussu in id, quod prius non erat, idest in corpus, & sanguinem suum commutetur, & sic*

Christus

Christus nunc inuisibilis ille Sacerdos, per sacerdotem
visibilem ministrum panem in manu accipit, ac bene
dicit dicens: Hoc est Corpus meum: *statim ibi*
atq; certissimè esse Corpus Christi sacramentaliter sci-
re debemus: itidem ad hæc verba: Hic est sanguis
meus, *statim adesse sanguinem Christi: Hæc au-*
tem verba etsi pronuntiet consecrans Sacerdos homo
3 *mortalis, nullus tamen alius mortalium, † qui sa-*
cerdotio non fungatur pronuntiare potest, vt eun-
dem effectum operetur; quàmuis non suis, sed Chri
sti verbis vtatur. Magna est igitur sacerdotũ Chri-
4 *sti vice fungentium potestas: rursus est etiam † sacer*
dotis potestas magna in dispensando: Potest enim
ex officio dispensatiuè multum de pœnitentia remit-
tere, tex. est Augustini valde notab. in c. quem pæ-
nitet de pœnit. distin. 1. & maximè per suas oratio-
5 *nes, & bona opera; vnde sacerdotes † dicuntur co-*
medere peccata populorum ij. q. 1. c. ipsi sacerdotes, et
quanto sunt meliores tantò facilius à Deo exaudiun-
tur, & ideo semper deberent eligi sanctiores ad inter
6 *cedendum pro peccatore, licet omnes † sacerdotes si-*
ne criminis differentia pariter conficiant verum Cor-
pus Christi 1. q. 1. c. si fuerint: c. multi &c. vestra
de cohabit. cleric. & mulier. quo tamen ad preces
mittendas pro peccatoribus ad Deum non ita mali ex
audiuntur sicut boni, vnde Canon dicit: Si qui di-
splicet mittatur ad intercedendum, irati animus ad
deteriora prouocatur c. iudicet iij. q. vij. & idem in c.

in

in grauibus ead. ca. & q. Vltimò cum nulla poßit esse maior oblatio Eucharistia de consecr. dist. ij. c. nihil in sacrificijs dicendum est magnam esse potestatem, & dignitatem sacerdotis, qui solus Eucharistiam conficit. xcv. dist. c. Ecclesiæ.

SVMMARIVM

De Episcopo & quolibet Sacerdote habente potestatem dispensandi, & mitigandi Canones pœnitentiales. Caput VII.

EPITOME.

1 Episcopus, & quilibet Sacerdos an habeat potestatem dispensandi & mitigandi Canon pœnitentiales.
2 Apud Deum an plus valeat mensura temporis, an doloris.
3 Pœniten. an sit moderanda arbitrio Sacer.
4 Sacerdos an poßit recedere ex causa a Canõ etiam imponente pœnam specificam.
5 Pœnitentia an hodie sit arbitraria.
6 Episcopus an poßit diminuere pœnitentiã à Papa impositam.
7 Minor Magistratus an poßit tollere legem superioris.
8 Procurator generalis an poßit mutare, quæ à Domino specialiter sunt mandata.
9 Sacerdos an poßit abreuiare tempus impositum pro mortali peccato ex causa.

Sacerdotis

1 *EPiscopus, & quilibet † Sacerdos habent potestatem dispensandi & mitigandi omnes Canones pœnitentiales, ut refert Abbas communiter tenere Doctores in c. etsi clerici. §. de adulteriis vero de iud. post gloss. primam per tex. in c. mensuram de pœnit. dist. i. vbi dicitur, Mensuram autem temporis in agenda pœnitentia, iccirco non satis apertè præfigunt Canones pro vno quoque crimine, ut de singulis dicant qualiter vnunquodq; crimen emendandum sit, sed magis in arbitrio Sacerdotis intelligen-*
2 *tis relinquendum statuunt, quia apud † Deum non tam valet mensura temporis, quàm mensura doloris, nam quem pœnitet omnino pœniteat, & dolorem lachrimis ostendat, ad idem tex. in c. Deus qui de pœnit. & remiss. ibi per discreti sacer-*
3 *dotis † arbitrium sit moderanda pœniten. pensata qualitate personarum c. de his l. distin. ibi in potestate maneat sacerdotis: vide ibi gloss. & sic sacerdos potest diminuere pœnitentiam sacrorum Canonum: nam verbum moderare diminutionem sonat. c. fin. de verb. signifi. & de huiusmodi significatione, seu*

moderatione

moderatione loquitur Abbas in d. c. Deus qui in ij. notabil. & in c. sicut dignum col. pri. versi. Ex his infertur de homic. quod quidem procedit non solùm quando specifica non expreßè reperitur in iure, sed etiam vbi Canon expreßè pœnitentiam imponit: sunt autem Canones pœnitentiales ferè quinquaginta, imponentes pœnas specificas pro quibusdam peccatis.
4 Sacerdos † tamen potest ab huiusmodi canonibus ex causa recedere, & minorem pœnitentiam imponere d. c. Mensuram cum alijs, de quibus supra. Pœni-
5 tentia igitur hodie † est arbitraria, quia non potest dari certa regula, cum per varietatem animorum, & circunstantiarum maior vel minor sit pœnitentia iniungenda, & ista est ratio, quare sacerdos etiam in taxatis à iure pœnitentijs potest aliam pœnitentiā imponere gl. per illum tex. in c. tempora pœnitudinis xxvi. q. vij. hinc infertur per gloss. ibi, quòd Episco-
6 pus potest † diminuere pœnitentiam quam Papa indixit, & hanc gl. Rom. in Sing. suo cccclxiij. Papa imponit dicit esse singularem, ad hoc, quòd minor Ma-
7 gistratus † potest tollere legem superioris ex causa si-
8 cut † Procurator potest mutare, quæ Dominus sibi mandauit. l. si hominem. ff. mandat. Quæ omnia supradicta procedunt ex causa, prout limitat gl. in d. c. mensuram; nam dicit, ex causa potest aggrauare, & mitigare, quia plures sunt Canones pœnitentiales, à quibus sacerdos non debet sine causa recedere: secundum Hostien. in sum. in tit. de pœniten. & remiss.

& ita etiam concludit Abbas in d. c. Deus qui: & in c. pri. de empt. & vend. in pri. & in c. accepisti
9 *de spo. Duo. versi. vlt. nota vbi dicit, quod licet † pro quolibet peccato mortali imponatur pœna septem annorum xxxiij. q. ij. c. hoc ipsum. Intelligitur tamen, nisi sacerdos ex causa tempus abbreuiauerit, & idem tenet gloss. in c. falsas de pœnit. dist. v. quod procedit etiam si dispensatio prohibeatur à Canone, vt tradit Abbas in c. fin. post hostien. de maled. in vlt. nota-*
10 *bili. Nec mirum, quia potestas sacerdotis † est tanta circa pœnitentiam imponendam, vt etiam sacerdos posit absoluere absq; pœnitentia, si maximam viderit in pœnitente contritionem secundum gloss. per il illum tex. in d. c. Mensuram in versi. dolororis & in c. si is, qui xxiij. quest. iiij. Notat Abb. in d. c. Deus qui in i. notab. & tradunt moderni in d. c. sicut dignum de homic. in prin. hanc autem potestatem remittendi peccata Deus ipse dedit sacerdotibus in sacramento, & etiam potestatem ligandi & soluendi; hoc est pœnitentibus, & confitentibus pœnitentiæ*
11 *satisfactionem dandi, quia tunc ligant † cum satisfactionem imponunt, & pœnitentes, donec ab ea purgentur à cõmunione prohibent; Soluunt verò quum satisfactionem impositam vel relaxant, vel ea purgatos ad sacramentorum communionem admittunt, in quo etiam Christus imbecillitati nostræ pientissimè consuluit, nam cum pœnitenti non quælibet, sed digna pœnitentiæ opera, vt peccati reliquiæ eluantur,*

&

& manentes nos penè per Dei clementiam dimit-
12 tantur peragenda sunt. Nemo † aũt in causa sua ido-
neus iudex videtur, atq; adeò vnusquisq; semper pro-
priam censuram suspectã habeat: Iccirco Christus Vi
carium suũ ostendit, cuius dicto in hac etiã restarêtur
vt August. non temere dixerit, eũ Ecclesiæ claues fru
strare, qui volet sine arbitrio sacerdotis pœnitẽtia age
re c. agite de pœnit. dist. pri. ex cuius dicto cognoscitur
potestas, & authoritas sacerdotis. Nam alloquitur
pœnitentes contemnentes, vel negligentes cõfiteri, &
satisfacere secundũ præceptũ Ecclesiæ, loquendo de ex-
teriori pœnitẽtia: vnde dicit: Nemo dicat sibi occultè
ago, apud Deũ Ago. Nouit Deus, qui mihi ignoscit,
13 quæ in corde ago. Ergo † sine causa dictũ est, quæ solue
ris in terra soluta erũt, & in cœlo: ergo sine causa cla-
ues datæ sunt Ecclesiæ: frustramus Euangelium Dei,
quia est præceptum euangelicum, pœnitentiam agi-
te, vt legitur apud Mathæum: Frustramus verbum Christi, quod quidem faciunt, qui dicunt: Non
indigemus sacerdotibus seu sacerdotali iudicio: ergo
frustra sacerdotibus essent claues commissæ: Quis
14 alius mortalium † habet à Deo hanc potestatem li-
gandi, & soluendi? Nunquid fortè reges, & alij se
culares Principes, nunquid Iurisconsulti, etiam pri-
mò ad doctoratus gradum promoti: Nunquid Philo-
sophi: nunquid Rethores: nunquid Poëtæ: nunquid
Equestri dignitate insigniti: nunquid illustres, vel
Illustrissimi, vel alia quauis prærogatiua muniti?

 Certè

Certè neminem inuenies præter sacerdotes, quibus semper laici ob hanc forte causam oppidò fuerunt infesti: Cùm etiam non habeant facultatem conficiendi corpus, & sanguinem Christi: Carent enim ordinibus sacris de quibus in sequenti Capitulo strictim dicemus.

SVMMARIVM

De ordinum institutione cœpta, & consumata. Cap. VIII.

EPITOME.

1 ORdinum institutio quando cœpta, & consumata sit.

2 Quæ à Deo sunt, ordinata esse censetur, & quomodo.

3 Ecclesia militans exemplata fuit à triumphãte, & quomodo.

4 Exemplatum secundum formam exempli esse debet.

5 Singula ministeria, quomodo in vtraque Ecclesia conueniant singulis ordinibus.

6 Ordo Sacer. quõ sit signaculum, & officiũ.

7 Episcopus in ordinũ collatione quot faciat.

8 Benedictio indistinctè datur omnibus, & quomodo.

9 Manus impositio quibus fiat, & quid per eam conferatur.

10 Vnctio quibus fiat, & quid inungantur.

Ordinum

ORdinum autem institutio, ut de his congruè loquamur, & etiam graduum ecclesiasticorum,
1 *† est de iure diuino, in ueteri scilicet testamento inchoata, & in nuouo consumata, conuenienter qui-*
2 *dem, cum omnia † quæ à Deo sunt non poßint esse, nisi ordinata, ut legimus in Epistola ad Rom. c. xiiij. & habetur in cap. pri. xxi. dist. Nam Ecclesia mili-*
3 *tans est † exemplata ab Ecclesia triomphanti, ut legitur Exod. c. xviij. & xxv. & Hebr. c. ix. legimus etiam in Apocal. Vidi ciuitatem Hierusalem nouam, descendentem de cælo; & habetur per Glos. in uersi. Ecclesiæ in Cle. pri. de hæret. & habetur etiã per Fæli. in Rubr. de const. col. ij. ibi. pro quo. Exem-*
4 *platum autem † debet esse secundum formam exempli. l. testamento de cond. & demonstr. Sed in cælesti Hyerarchia sunt uarij ordines Angelorum; ergo, & ita in militanti Ecclesia c. ad hæc lxxxix. dist. & ut*
5 *singula † ministeria singulis ordinibus sunt distributa in Cælo, ita in terra in Ecclesia militanti singuli ordines sua ministeria distincta habere debent c. singula. c. quia lxxxix. distin. Hoc idem uidemus in corpore humano, in quo multorum membrorum, & organorum est distinctio, uarijsq; uirtutibus per singula membra attributa distributio c. cum singula de præbend. lib. vi. Paul. pri. ad Corinth. c. xij. Ita & in corpore mistico Ecclesiæ, unum est caput, & singula membra distinctos usus & habitus tenentia, ut in c. pri. & seq. xxi. distin. & in cap. perlectis,*

xxv.

*xxv. distin. Thom. ij. ij. q. clxxxiij. Paul. Eph. c. 4.
dixit ipse scilicet Christus dedit quosdam Apostolos:
quosdam autem Prophetas &c. Huiusmodi autem
6 ordo † sacer potest dici signaculum esse, id est sacrum
quoddam: quo spiritualis potestas traditur ordinatis
& etiam officium: Character ergo spiritualis, ubi
fit promotio potestatis, vel gradus vocatur, & or-
dines huiusmodi dicuntur sacramenta, quia in eorũ
perceptione res sacra, id est gratia confertur, quam
figurant ea quæ ibi geruntur, ut per Magist. senten.
lib. iiij. distin. xxiiij. Unde Episcopus in collatione or
7 dinum † duo facere videtur. Præparat enim ordi-
nandos ad ordinum susceptionem, & eorum pote-
statem eis tradit. Præparatio autem in tribus consi-
stit, in benedictione, manus impositione, & un-
ctione, per benedictionem ordinandi diuinis obse-
8 quijs mancipantur: & ideo † benedictio indistin-
cte datur omnibus, per manus impositionem datur
plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia sint
9 idonei, & ob id solis Diaconibus † & Præsbiteris,
siue sacerdotibus imponitur manus, quia eis compe-
tit sacramentorum dispensatio, quamuis uni, ut
principali, scilicet sacerdoti, & alteri sicut ministro
10 ut diacono. Unctione autem † ad aliquod sacramen
tum imitandum consecrantur, & ideo solis sacerdo-
tibus unctio fit, qui proprijs manibus corpus Christi
tangunt, sicut etiã calix inungitur, qui continet san-
guinem, & paterna, quæ continet corpus Christi.*

SVMMARIVM.

De potestate Sacerdotis, & quomodo cognoscatur, & de charactere, & quomodo imprimatur. Cap. IX.

EPITOME.

1 Potestas quomodo detur Sacerdoti, & quomodo character imprimatur.
2 Diacono, & Subdiacono per quæ signa character imprimatur.
3 Character an imprimatur etiam in ordinibus minoribus.
4 Ordo in Ecclesia quid sit, & quare dicatur Sacramentum.
5 Ordo à quo fuerit institutus.
6 Christum ordinasse Apostolos, omnino credendum est.
7 Sacerdotis potestas ex quibus cognoscatur.
8 Sacerdotis maioritas quõ cognoscatur.

1 *Potestas † verò Sacerdoti confertur ex eo quod datur eis aliquod signum ad proprium actum pertinens, & quia principalis actus sacerdotis est consecrare corpus & sanguinem Christi, ideo in ipsa datione Calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur: Diacono autem*
2 *† huiusmodi character per dationem libri Euangeliorum imprimitur: Subdiacono per traditionem calicis & patenæ vacuæ, iste character etiam imprimitur*

& hæc

3 *& hæc quo ad maiores † ordines de characteris infixione: qui etiam infigitur his, qui ad minores ordines promouentur, nam cum sit res, & figura in ordine oportet, vt etiam habeat aliquid pro signo exterius, in quo conferatur: Illud autem signum potissimè videtur esse hoc, quod magis cum illo habet similitudinem, & est instrumentum: quod est aptum ad officium ordinis, in quo fit potestatis illius ordinis significatio, vt de maioribus dictum est, nam hostiario character imprimitur per traditionem clauiũ, quia illi custodia templi committitur, quod Anciranum, & Nicenum Concilia plenè incidant. Lectori character insignitur per traditionem Codicis, quem lecturus est, Exorcistæ imprimitur per traditionem libri, in quo continentur exorcismi: Accolito imprimitur per traditionem vrceoli vacui: ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi ex Concilio Affricano quarto cap. vi. cui Augustinus interfuit. Ordines huiusmodi tam maiores, quàm minores ibi recensentur cum ritibus, quibus conferuntur: & de his habetur xxiij. distin. Patet*
4 *ergo ex prædictis † ordinem in Ecclesia esse gratiam, quandam, & potestatem, quæ per traditionem visibili quodam signaculo baptizatis infunditur, quam per manus impositionem ad manus aliquod in Ecclesia publicè gerendum ritè ordinatur, & esse sacramentum, cum habeat sicut alia sacramenta signum*
5 *visibile, & verbum suum: Nec † laici credant esse*

humanum

humanum commentum, sed Christi institutum, & pro sacramento semper hactenus habitum, & de cætero subinde habendum: hoc probatur ex eo: quod legimus apud Io. c. xx. Nam Christus cùm resurrexisset à mortuis missurus Apostolos in orbem terrarum dixit, sicut misit me Pater, & ego mitto vos, & cùm hæc dixisset, insufflauit dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remit-
6 tuntur eis &c. Dubio procul igitur esse debet † Christum ordinasse Apostolos suos cærimonia quadam visibili in opus suum, & in eos ita gratiam spiritus sancti signo quodam visibili contulisse, potestatem quoque eiusmodi ordinatione collatam apertissimè confirmasse: ac sic stabilisse, vt quod ipsi Apostoli, & eorum successores suo nomine ritè in Ecclesia peragerêt, Deus perinde ratum haberet, ac si per ipsum Christum fa-
7 ctum esset, prædicta autem potestas † tantò est altior & maior, quantò ad plura se extendit, sed potestas sacerdotis secundum Dionisium de Angelica Hierarchia lib. iij. extenditur ad purgandum, & illuminandum per sacramenta penitentiæ baptismi, & eucharistiæ, & clauem scientiæ, quam habere debet: Ergo potestas præsbiteri est maior, & altior omni potestate creata circa sacramenta Ecclesiæ: vnde non est absurdum, si dicatur præsbiterum maiorem esse quolibet laico sumendo argumentum † à maioritate
8 rei, quam administrat, scilicet ipsorum sacramentorum, & hoc tenendum esse vniuersalis Ecclesiæ con-

sensus sufficere debet, licet plura adduci possent testimonia de scripturis sanctis, hoc speciatim dicendum puto Dionisium ordinem exertissimè pronuntiasse, cuius sententiæ Ireneus, Tertullianus, Ciprianus, Hieronimus, Augustinus, & cæteri veteres quotquot fuerint subscripserunt. Non est ergo dubitandum de sublimi potestate Sacerdotis etiam mali: in eo enim est honoranda non tamen eius vita. Hæc fuit Cipriani sententia, vt attestatur Augustinus. Nam ipse non solùm cum auaris & rapacibus Clericis, sed & Episcopis atq; Pontificibus panem Domini manducabat, & calicem bibebat, secutus præceptum Euangelij, quæcunque dixerint vobis, facite, secundum opera verò facere nolite.

SVMMARIVM.

De Charactere, & huius nominis, & qualitatis inuentore. Cap. X.

EPITOME.

1 QVis characterem & eius qualitatē ostēdit.
2 Character quid sit.
3 Character animæ infigitur, & quare sit indelebilis.
4 Clericus degradatus an amittat Characterē.
5 Clericus depositus quid amittat, & an remaneat sub iurisdictione sui Episcopi.

Clericus

6 Clericus excommunicatus, vel ſuſpenſus, an amittat characterem, & quibus priuetur
7 Clericus degradatus, an celebrãdo cõficiat.
8 Poteſtas conficiendi a quo dependeat.
9 In confectione euchariſtiæ quid requiratur.
10 Sacerdos ſiue quilibet Clericus, an ſemper remaneat charactere inſignitus quocunq; ſe conferat, & quare.
11 Doctorum inſignia, quæ ſint.
12 Signum cuiuslibet poteſtatis, an ſemper detur, & ad quid.

NVnc opportunè de Charactere aliqua dicamus, de quo ſupra meminimus, nam Dioniſius
1 *Areopagita † Philoſophus inſignis à Paulo ad Chriſti fidem conuerſus in libro de cœleſti Hierarchia, qui primus omnium huiuſmodi characteris nomen, & qualitatem oſtendit ſecundum Thom. lib. iiij. ſent. diſt. iiij. in hunc modum declarat characterem, Vbi-*
2 *cunque ſunt operationes † propriæ oportet ibi eſſe principia propria illarum operationum, Vnde ſicut in alijs rebus ſunt potentiæ naturales ad proprias operationes ita etiam renati in Vitam ſpiritualem habent quaſdam potentias ad exercendum actiones ſpirituales, quæ potentiæ ſunt ſimiles illis Virtutibus, quibus ſacramenta habent efficaciam ſibi datam, quia ſicut ſacramenta cauſant gratiam inſtrumentaliter, ita recipienti ſharacterem ſeu potentiam huiuſmodi*

operantur diuina per ministeriū, minister sicut instrumentū eius est, cui ministrat, inquit Philosophus viij. & hic quod seruus est sicut organū animatū, & ideo, tam virtus sacramenti quàm minister quàm character est instrumentum, vnde per hoc signum, quem characterem appellamus, nihil aliud intēditur quàm illud, quod facit hoc charactere insignitum participatiuum diuinarum operationum, & sic est quædam potentia: & dispositio ad gratiam per quandam congruitatis dignitatem, vbi enim quis est mancipatus diuinis actionibus, & inter membra Christi connumeratus facta est quædam congruitas ad gratiam suscipiendam, quia Deus perfectè in sacramentis homini prouidet, & sic simul cum hoc charactere quo datur homini, ut poßit exercere spirituales actiones, datur etiam gratia, quæ actiones huiusmodi perfectè poßit exequi, character autem † infigitur animæ in-
4 *delebilis: ita ut licet clericus degradetur † character tamen non læditur, totaliter tamen priuatur exercitio ordinis, & habitu ipsius, ita ut amplius non reputetur, nec habetur pro clerico c. degradatio in fin. de pen. lib. vi. vel si deponatur † character etiam nō*
5 *læditur, nec isto casu habitu ordinis priuatur: cum talis debeat haberi pro clerico, vt remaneat sub iurisdictione sui Episcopi c. at si clericus de iud. c. cum Non ab homine eod. tit. c. dictum lxxxi. dist. sed perpetuò depositus priuatur exercitio ordinis c. accedens l. dist.*
6 *cap. pri. de cler. excom. minist. Suspentio etiam † non læedit.*

lædit characterem, nec priuat habitu clericali. Nec exercitio ordinis; sed suspendit exercitium illud ad tempus d. c. at si clerici xxiiij. q. pri. his authoritatibus. Eundem effectum facit excommunicatio, quem suspensio, quia limitatur ad tempus contumaciæ c. ex literis de const. Degradatus actualiter perdit priuilegium clericale, sed depositus verbaliter non perdit, ut dicunt doct. in d. c. Accedens. l. distin. Abb. & alij in
7 c. pen. de cler. coniug. Talis tamen degradatus † conficit corpus Christi, si celebrat, quia adhuc retinet characterem indelebilem. Hoc tenent cõmuniter Canonistæ, & Theologi, quia à potestate characteris dependet potestas conficiendi, vt dicit Innoc. in c. pri. de scismatic. vnde si Papa talẽ restitueret, non deberet de nouo ordinari: licet insignia ei ablata illi deberent restitui xi. q. iij. c. Episcopus. Patet ergo, quòd ordinẽ retinet propter characterem, vt per Io. And. in d. c. degradatio super gloss. & Arch. de consecr. dist. ij. c. quid sit super gloss. & ibi recitat opini. doct. dicentiũ
8 quòd † potestas conficiendi non dependet à bonitate sacerdotis, sed ab ordine, quem semel habitum nul-
9 lus perdit, vnde † in consecratione eucharistiæ ex parte ministri requiritur ordo, intentio, & verborum prolatio, ergo malus potest eam conficere, licet sibi noceat conficiendo, ut patet xv. q. fin. c. fin. & ibi Archi. Infertur igitur ex prædictis, quòd quocunque se con-
10 ferat sacerdos † semper est tali charactere insignitus, cùm iam per clericatum assumptum totalis mutatio

persone.

personæ facta sit, & hoc modo sacerdos, siue quilibet Clericus semper erit idem, hoc est minister Dei,
11 *& Ecclesiæ, sicut Doctor dicitur † doctoratus charactere insignitus, postquàm signo visibili fuit doctoratus, siue decoratus, quod fit corona capiti imposita xxx. distin. c. si quis virorum cathedræ assignatione xl. dist. c. multi, traditionem libri xvi. dist. c. librum habeo, concessione osculi de cons. dist. ij. c. paceni. De huiusmodi insignis habetur in cle. ij. de Magist. & ibi per Cardinalem: isto doctor, sic insignitus semper erit doctor, & vbiq; vt doctor debet honorari, potest enim vbiq; locorum omnes doctores actus exercere, ita & clericus, siue exerceat actus clericales siue doctores sibi competentes debet honorari, vt clericus doctor, non ut doctor simplex & laicus, cum semper sit idem, suo charactere insignitus, scilicet clericali, qui tanquam dignior præfertur characteri doctoratus, nec potest dici, quòd talis clericus dupplici iure censeatur contra tex. in c. cum tua de dec. & in c. cognouimus xij. q. ij. & in l. eum qui ædes. ff. de vsucap. quia in casu huiusmodi non censetur clericus dupplici, sed simplici iure uti, cum exerceat actus sibi, & ordini sua competentes, legendo scilicet, & interpretando iura Pontificia, quæ propriè clerico conueniunt iuxta tex. in c. super specula ne cle. vel mon. secus autem si iura ciuilia vel physicam interpretetur tunc enim diceretur dupplici iure censeri, & isto casu fortè non deberet honorari,*
vt

vt clericus, cum non exerceat actus conuenientes ipsi clerico, & quia dat operam rei illicitæ contra tex. in d. c. super specula, videtur quodamodo amittere priuilegium clericale, & hoc intelligendum esse puto si sine dispensatione Apostolica hoc faceret, sed ad rem
12 redeundo scias, quod † semper aliquod visibile signũ datur cuilibet potestat. ad significandum illam potestatem, sicut etiam regi in signum potestatis regiæ datur corona, & sceptrum. Sceptrum autem alias dicebatur Scipio, quem rex gestat auratum, & eboratum ab innitendo dictum: Hinc reges sceptigeri dicuntur, Pontifici datur Mitra & baculus, & annulus: quæ sunt signa potestatis Traditæ, & prout latius dicitur in rationali diu. off. lib. iij. vbi declarantur Episcopalia indumenta sigillatim.

SVMMARIVM

De Sacramento ex mali Ministri administratione non viciato. Cap. XI.

EPITOME.

1 CHaracter, quare non cogat ad bene operandum.
2 Qualitas mittentis, & non missi: quare attendatur.
3 Sacramentum quare non vitietur à malo ministro administratum.
4 Character à quo imprimatur.

Radius

5 Radius Solis quare non vitietur, licet transeat per loca fœtida.
6 Sacerdos malus administrans sacramentum tantum sibi nocet.
7 De candelæ exemplo alios illuminantis & se ipsam consumentis.
8 Clericus an posit priuilegiis clericalibus renuntiare.
9 Clerici quare multis gaudeant priuilegiis.

Sciendum est non opportere, ut omnis, qui characterem habet illius actiones bene exerceat sicut
1 *† nec omnis, qui habet operandi potentiam, bene operetur actum illius potentiæ, licet bene operari deberet, non tamen astringitur: unde propter hoc, licet inueniantur quidam clerici, seu sacerdotes mali iux. tex. in c. multi xl. dist. non tamen character iam impressas deletur, sed ipsi quoq; sunt Dei ministri, & personam eius repræsentant, præcipuè in baptizando, confeßiones audiendo, & absoluendo: actiones enim*
2 *huiusmodi fiunt in persona Dei: Nam † cum mittitur aliquis minister à Rege, vel ab alio Principe, non attenditur qualitas ministri mißi, sed qualitas mittentis, qui eum in ministerio honorat, sed si talis minister baptizat, seu alia sacramenta ministrat in pec*
3 *cato, non tamen † vitiatur sacramentum ab eo collatum. §. ad hoc xxxij. distin. vbi doctores declarant, quomodo hoc intelligatur, & ratio est, quia virtus,*

&

4 & character † imprimitur à Spiritu sancto, & ideo infectio ministri illud impedire non potest, & sic sacramenta collata à peccatoribus immundis efficacia sunt & gratiam habent. Non enim in sacramentis operatur virtus ministri, sed virtus spiritus sancti, & character impressus, vt in c.ij.xix.dist. Nam, & Iudas cùm fuerit sacrilegus & fur: quicquid egit inter Apostolos pro dignitate sibi commissa, beneficia per eum indignum data nulla ex hoc detrimenta senserunt, quia quae sancta sunt coinquinari non possunt licet per manus impiorum tractentur. Nam vide-
5 mus † quòd radius Solis non maculatur, licet per loca foedissima transeat d. c. secundum c. fin. xv. q. vij. c. vestra de cohab. cler. & mulier. Non enim qui plã-
6 tat est aliquid, neque qui rigat, † sed qui incrementũ dat Deus peccator tamen talia administrans sacra-
7 menta sibi tantum nocet, sicuti candela † quae alios illuminat, & se ipsam consumit, hanc veritatem operatur virtus, & character à spiritu sancto impressus, & ideo dicitur indelebilis. Quomodo ergo potest esse, quòd clericus sacris initiatus inter laicos, cuiuscunque generis non sit semper clericus, non sit sacerdos, & in consequentiam clericalibus non gau-
8 deat priuilegijs? quibus etiam † si ipse vellet renuntiare non posset. Nam totius ordinis clericalis hoc interest, & per talem renuntiationem vniuersalis Ecclesia offenderetur, sicut offenditur in vno clerico, qui coram iudice seculari conuenitur, c. si diligenti

 de for.

de for. compet. Nam clerici multis gaudent priuile
9 *gijs, in quocunque ordine constituti. Nec † mirum quia funguntur legatione Dei, ij. q. vij. c. accusati in fin. & priuilegia huiusmodi spectant indistinctè & uniuersaliter ad omnes clericos, adeo quòd omnes vt dixi priuilegijs huiuscemodi gaudent.*

SVMMARIVM

De Priuilegijs Clericorum in quocunque ordine constitutorum. *Cap. XII.*

EPITOME.

1 Clericus quouis ordine insignitus, an gaudeat fori priuilegio.
2 Iniuria facta clerico, an dicatur facta Ecclesiæ.
3 Laici cuiuscunq; qualitatis non debent clericos iudicare, & à quibus aliis prohibeatur.
4 An inueniatur vlla dignitas secularis, similis sacerdotali.
5 Papa, an posit se subiicere iurisdictioni Imperatoris, quòd non, & quare, cui succedat, & cuius sit Vicarius.
6 Papa, an posit directè subiicere clericos laicis.
7 Consuetudo etiam longa, an valeat contra clericos.

Superior

8 Superior an poſsit iudicari ab inferiori, quod non, & quare.

9 Coram iudice ſuſpecto, quare quis litigare non cogatur.

MVlta ſunt clericorum priuilegia, de quibus habetur toto titulo de priuileg. & ibi per Doct. inter cætera verò clericus quouis ordine inſignitus gau-
1 *det priuilegio fori † vt ſcilicet non poßit diſtringi vel condemnari per iudicem ſecularem. c. nullus, & ibi Abbas de for. compet. c. cum non ab homine de iud. nec etiam per viam reconuentionis illud fieri poteſt, vt plenè habetur in d. c. at ſi clerici de Iud. quod procedit quando clericus reconueniretur coram iudice ſeculari ſuper re ſpirituali, vel annexa ſpirituali, quia natura, & ſubſtantia rei aduerſatur, quia ſpiritualia, & illis adnexa ſunt huius naturæ, & ſubſtantiæ: vt nullo modo iuriſdictioni temporali iudicis ſecularis conueniant c. ij. de iudic. c. sacroſancta c. neceſſaria de elect. in his ergo reconuentio non procedit, ſed ſolùm quando qualitas, & naturæ cauſæ non obſtaret, & quando eſſet idem negocium, ex quo clericus agendo contra laicum pro ſe iudicem ſecularem elegit non debet dedignari eundem iudicem: con-*
2 *tra ſe habere. Gaudet etiam clericus † hoc priuilegio, quia, qui facit iniuriam clericis videtur facere Eccleſiæ Dei: quia funguntur (ut dixi) legatione Dei: vnde eorum iniuria ad Chriſtum pertinet, cuius le-*

gatione funguntur, dicit tex. in d. c. accusatio ij. q. vij. in fin. & maximè quia huiusmodi priuilegium ad ordinem pertinet clericalem, Abb. in d. c. at si
3 *clerici col. vij. Aliud etiam priuilegium habent † clerici, quia laicis quantacunque fulgeant dignitate, nõ est licitum de clericis iudicare: quia vt supradixi vniuersalis Ecclesia offenderetur: nec etiam eos accusare, nec testimonium contra ipsos perhibere in causa criminali: d. c. at si clerici, & c. de cætero de test. hoc probatur in dictis iuribus per illam dictionem aliquatenus, & ibi per Aret. & Dec. & latius ipse declaraui hoc anno interpretando d. c. atsi clerici, & in c. consulendum xviij. dist. Vnde dicit gloss. in c. duo*
4 *sunt. xcvi. dist. quòd nulla † dignitas secularis similis inuenitur sacerdotali dignitati xi. q. i. c. sacerdotibus vbi tex. not. de Imperatore Mauritio loquitur, qui compellebat clericos coram se respondere, & eis debitam reuerentiam non impendebat, vnde Gregorius ibi scribit contra ipsum dicens; quod omnes sacerdotes ipse debet honorare. Io. And. in c. Ecclesia*
5 *Sanctæ Mar. de constit. dicit, † quòd etiam Papa non potest se ipsum subijcere iurisdictioni Imperatoris vel cuiuslibet laici, quia fieret iniuria ipsi Deo: si suus Vicarius iudicaretur à laico: Nam non agitur principaliter de honore ipsius Papæ: sed de honore Dei, Nam secundum Augustinum in quest. Nou. & veter. testam. c. hæc imago xxxiij. q. v. Papa successor est Adami primi in innocentia creati: Vicarius*

rius autem secundi Adami, filij Dei pro nobis incarnati, Christi inquàm non puri hominis, sed veri Dei: & hominis potestatem habens c. licet de transl. prælat. c. vnico, & eccle. benefic. & sic non potest priuilegio renuntiare. Si Papa hoc non potest multo minus clericus simplex; hanc opinionem approbant D. Ant. Abb. Innoc. & Doct. in d. c. Ecclesia sanctæ Mariæ, & idem Ant. post Io. And. in c. significasti col. pri. de foro comp. & ibi Abb. vt refert Fæl. in d. c. Ecclesia sanctæ Mariæ; & respondet ad tex. in c. nos incompetenter ij. q. vij. qui allegatur in contrarium, quia iudicium summitur pro discretione, vel quòd Papa illud ibi fecit ex nimia humilitate;
6 vt ibi per Doct. † Nec etiam Papa potest facere, vt iudicio laicorum iudicentur ipsi clerici, quia hoc priuilegium ipsi habent à Deo, vt notat Innoc. in cap. ij. de maior. & obed. Nam Papa non potest tollere ea, quæ sunt de iure diuino c. sunt quidam, xxv. q. pri. & hoc intelligitur directè autem sic, quia potest facere laicos suos delegatos, vt notatur in c. manam ij. q. v. & in c. ij. de maior. & obed. verùm quia multi solent allegare, & adducere in quibuscunque actibus consuetudinem contra clericos ex longo usu in curia seculorum introductam, & maximè ratione cu-
7 iusdam iurisdictionis; † Respondetur, quòd laici iudices ex vsu huiusmodi nullam possunt acquirere iurisdictionem contra clericos, cùm ab eis sint exempti de iure diuino, vt supra dixi, ergo consuetudo nulla,

quia

quia corruptela c. final. de consuet & per Innoc. in c. Nouerint de sent. excom. Card. in cle. i. in princ. xv. q. de vit. & honest. cleric. & quamuis istud nō prohiberetur de iure diuino, tamen Papa non potest dare hanc potestatem directè iudicibus, quia istud esset turbare statum Ecclesiæ vniuersalem; quod est prohibitum, vt singulariter notat Innoc. in c. quantò de consuet. & istud esset contra rationem naturalem
8 *† quòd scilicet inferior superiorem iudicaret c. cùm inferior. de maior. & ob. Nam clerici dicuntur maiores quocunque laico c. quis dubitet xcvi. dist. Rursus esset alio modo contra rationem naturalem: quia quis*
9 *cogeretur coram iudice suspecto † litigare contra tex. in cap. quia suspecti. iij. quæst. v. quod patet; quia clericis, vt sæpe dictum est supra: sunt laici oppidò infesti, & licet per Papam causæ clericorum possint delegari laicis, eò casu tamen repræsentant delegantem, gerunt enim vices ipsius c. sanè de off. deleg. & sic non coguntur litigare coram iudice suspecto, directè incompetenti & vetito: cùm suum repræsentent delegantem: secus autem si ex aliquo accidenti iudex esset suspectus: quia tunc habemus elegans remedium arbitrorum: iux. c. suspitionis de off. delega. & in c. ab arbitris eodem tit. lib. vi.*

De

SVMMARIVM.

De Nullitate statutorum, contra ius Ecclesiæ, & libertatem Ecclesiasticam. *Cap. XII.*

EPITOME.

1 Statuta contra libertatem Ecclesiæ quare non valeant.
2 Quare statuta dicantur contra libertatem ecclesiasticam.
3 Alienatio prohibita à statuto sine licentia cõmunicatis an comprehendat res Ecclesiæ.
4 Statutum puniens declinantem forum potestatis, an comprehendat clericos.
5 Statuentes in dubio: an intendant comprehendere clericos.
6 Statu.in sui generalitate qũo debeat intelligi
7 Argumentum à contrario sensu quando nõ valeat in statutis.
8 Statutum præferens primo promotos, an habeat locum in clericis.
9 In mandato generali, comprehendatur id: per quod Dominus possit puniri.
10 Statutum loquens generaliter, an possit trahi ad sensum peruersum.
11 Statu. irritans testamen.nõ positũ in memorialib.an cõprehendat testa. ad pias causas.
12 Statutũ puniẽs clericos indirectè,an valeat

Testator

13 Testator, an possit subiicere clericos iurisdictioni seculari.
14 Statuta huiusmodi inualida, an possint inualidari per consuetudinem.
15 An ordinatio quem faciat sacrum.
16 Infestus quis dicatur, & vnde ista dictio oriatur.
17 Clerici, an sint hodie sicut olim quoad characteris effectum.

Considerata prædicta clericorum exemptione, quæ prouenit à iure diuino, vt supra demonstratum fuit manifestè constare videtur, quòd laici
1 *† contra clericos, vel eorum ecclesias statuta facere non possunt, quia diceretur contra libertatem ecclesiasticam: quia tollerentur priuilegia clericis, & ecclesiis concessa, & quia clerici efficerentur timidiores, & impedirentur ea facere, quæ sibi à iure conceduntur, vt late per D. Abb. Fœl. & omnes Doctores in c. Ecclesia sanctæ Mariæ de constitut. Vnde siue contra ius Ecclesiæ, siue contra libertatem ecclesiasticam fiat, statutum neutro casu valet, immo statuentes puniuntur pœna sacrorum Canonum & maximè contra libertatem ecclesiasticam; contra quam laici sunt proniores, nam propter huiusmodi libertatem concitatur laicis ipsis in dies maior inuidia, & maius odium, cùm videant clericos esse melioris condictionis quàm ipsi sint. Hinc est etiam,*

quòd

quòd canon dicit clericis laicos esse oppidò infestos, ut tradit antiquitas in c. Clericis de imun. Eccle. lib. vi. Hoc igitur semper fuit, & semper erit quamdiu
2 mundus durabit: Dicuntur † autem statuta contra libertatem Ecclesiasticam, quando veniunt contra priuilegia concessa Ecclesiis à Deo, & personis ecclesiasticis, vel à Papa, vel ab Imperatore; vt inquit Inno. in c. nouerint de sent. excommun: sequuntur ibi host. Io. Andr. Petrus de Per. & alij: & Abb. post alios Cy. Bar. & Sal. in authentica Cassa. C. de sacr. sanct. Eccl. & alij, de quibus per Fel. Dec. & cæteros Doctores in d. c. Ecclesia sanctæ Mariæ, & per Dec. in consi. cxxiij. col. ij. per tex. in c. bene quidem xcvi. distin. vbi refert Card. in Repet. c. perpendamus in vi. cart. versi. & per hoc deciditur alia
3 quæstio de sent. excom. vbi inquit, quòd † statutum prohibens alienationem bonorum immobilium, nisi de licentia communitatis non habet locum in rebus ecclesiasticis, vel personis, sicut etiam si extaret statutū,
4 ponens † extra protectionem communis quamlibet personam declinantem forum potestatis: quia tale statutum non valet, vt per D. Abb. in Repetit. d. c. ecclesia sanctæ Mar. dicentem: quòd statutum huiusmodi dicitur esse contra libertatem ecclesiasticam: hanc rationem: quia reddit clericos timidos ad allegandum priuilegium fori si conueniatur coram potestate, & allegat Bal. in dicta auth. Cassa. & Bar. in l. pri. §. quæ onerandæ. ff. quar. re. ac. no. dat. qui hoc dicunt,

& idem uoluit Ang. in l.filiusfamilias.§.diui.de leg. pri. Deinde subdit Abb.quòd ex alio capite istud statutum non extenditur ad clericos, ex defectu, scilicet intentionis statuentis, qui † in dubio noluit comprehendere non subditos, & per consequens resultat notabilis effectus, quòd taliter statuentes non sunt excommunicati, quia non intendunt disponere de clericis, & sic non videntur esse in casu dicti c. Nouerint de sent. excom. & ita expressè sentit.d. Ant. in c. tua il primo, de cleric.in princ.dum dicit,quòd † tale statutũ in sua generalitate ita debet restringi, vt clericos nõ comprehendat. Ne statuentes videantur disponere contra libertatem ecclesiasticam, vt ibi per eum, & sic incurrere in excommunicationem, & idem tenet Lap. allega. xxx. col. ij. & pro hoc adducit in simili glos. vulg. in cle. pri. versic. facere de vsu: quòd † in statutis nunquàm colligitur argumentum à cõtrario sensu: quando ex tali argumento statuentes inciderent in pœnam: & illam gloss. ita ponderat Rom. in sing. c vij. tu habes, & communiter tenetur. Ex prædictis patet: quòd si fortè extaret statutũ in aliquo gymnasio Doctorum publicè profitentium † disponens, Doctores primò promotos ad gradum doctoratus postea promotos præcedere debere. Statutum huiusmodi ex quo generaliter, & simpliciter loquitur per prædicta non potest comprehendere clericos pariter doctores in eodem gymnasio publicè profitentes, puta ius canonicum: quod probatur maximè per id, quod voluit

luit Bar. in l. si quis sub conditione. ff. de cond. instit. ubi tenet tale statutum non valere quoad Clericos, nec debere intelligi de clericis, quia verba generalia non porriguntur ad illicita, & idem Bar. in simil. in l. procurator. col. ij. versi. & per istum tex. Ego dico ff. de cond. indeb. dum dicit, quod in generali man-
9 *dato † non venit aliquid, per quod Dominus possit incidere in pœnam: & idem Bar in l. iij. §. si procurator. ff. quod quisque iur. & Bal. in l. ab exequt. C. quo app. non recip. & idem Bal. sequitur in l. fin. §. in computatione in fi. C. de iur. delib. Confirmantur prædicta per ea, quæ voluit Dominic. post Io. And. in c. eos, col. pri. versi. Item si sic intelligeretur de im-*
10 *munit. eccle. lib. vi. ubi dicit, quòd † statutum generaliter loquens non debet trahi ad sensum peruersum, ad quem videatur disposuisse contra libertatem ecclesiasticam, & ideo, ut refert Feli. in d. c. Ecclesia sanctæ Mariæ. Ang. in consi. xlvii. statuto ciuitatis Florentiæ, videtur incautè loquutus, dum sentit expressè, quod tale statutum debeat nocere clericis, & hoc probatur per id: quòd voluit Antonius de Butrio in c. relatum,* il primo, *de testa. dicens, quòd*
11 *statutum generaliter irritans † testamentum non positum in memorialibus non debet ita intelligi indistinctè, ut præiudicetur testamentis ad pias causas, & idem Cal. in disput. Bononiensi statuto cauetur ad finem tenet, quod sequitur Pet. de Anch. in consi. cclij. supradictum statutum, & quòd pœna anposita de-*

 clinanti.

nandi forum potestatis non licet clericos tenet Bald. in l. i. ad finem de ind. vidui: etiam si non puniret declinantem, sed eius † consanguineos non valet, quia indirectè videtur disponere cõtra clericos, vt per Bar. in l. pri. ff. de his quæ pen. no. per illum tex. ad idem
12 clinantem, sed eius † consanguineos non valet, quia
13 facit Bal. in l. ij. C. vt imposs. legat. vbi dicit † quòd si testator instituens clericum grauat eum, vt soluat Titio centum, quæ ei debet, subijciendo eum iurisdictioni seculari: talis subiectio non valet: quia est contra ius publicum per tex. in l. Nemo potest delegat. 1. Iuncto c. diligenti de for. compet: Nec ad validandum dictum statutum potest allegari aliqua consue-
14 tudo, quæ valeat † vt per rot. decis. x. de consuet. in antiquis; vbi dicit, quòd non valeat consuetudo, quòd Rex Angliæ habeat iurisdictionem in clericos, nec Papa etiam circa hoc saltem uniuersaliter potest disponere, ut not. Card. & Mod. in c. ij. de maior. & ob. quia clerici habent suum priuilegium à iure diuino; cum transtulerint corpus & animam ad seruitium Dei voluntarium xij. quæst. i. c. duo sunt: Eo
15 enim ipso, † quòd quis ordinatur in clericum efficitur res sacra. & transfertur in sortem domini xij. q. pri. c. cui portio, & ipso facto eximitur à potestate seculari, & is efficitur, ut nulla secularis dignitas similis sit sacerdotali, & clericali dignitati; dicit tex. in c. Duo xcvi. dist. in. Hinc quoque oritur illa infestatiõ, quam tradit antiquitas, & de qua sæpius di
16 ctum est infestus † enim dicitur malignus, seu capi-

talis

talis inimicus, quia alicui malum infert. Infestum Nigidius dici putat à festinando, qui enim instat ali cui, eumq; properans vrget, & opprimere eum studet, atq; festinat, is infestus dicitur ab instantia frau-
17 *dis. Hæc † autem infestatio fortè prouenire etiam potest à numerositate clericorum: dicit tex. in c. legimus xciij. distin. olim enim, quia non omnes indistin cte promouebantur, erant in maximo honore, non ta-*
18 *men propter hoc laici deberent esse eis infesti. † Nam quoad characteris effectum idem, quod olim, hodie sunt clerici nostri, & etiam quoad dignitatem, & præstantiam, quæ clericis ipsis laici inuident, horum enim tanquam alienæ fælicitatis dolore maximo affi ciuntur, hinc oriuntur odium, maleuolentia, & offensio, & ob id canon usus est illa dictione infestos, quasi malignos, seu capitales inimicos: Hyeronimus autem in d. c. legimus non est usus hac dictione, sed di xit; diacones paucitas, honorabiles præsbiteros, turba contemptibiles facit; Aliud autem est, quòd quis aliquem contemnat, aliud quòd quis sit alicui infestus; Nam ex copia primum, ex inuidia secundum oritur: & sic Hyeronimus locutus est in casu, de quo ibi: Bonifatius verò, in d. c. clericis, agens de immunitate ecclesiastica contra laicos, loquitur in proprijs terminis. Hoc ergo non prouenit ex numerosita te, sed ex inuidia, non enim semper fuit magnus nu merus clericorum, & tamen tex. ibi dicit, tradit an tiquitas. Ex prædictis potest concludi, quòd huius-*

modi

modi infestatio tunc cæperit contra clericos, vbi laici cognoscere cæperunt præstantiam ipsorum iux. illud Venusini poëtæ canentis.

„ Inuidus alterius macrescit rebus opimis,

Viderunt enim, immo nimis viderunt (hinc nascitur inuidia) quòd etiam simplex sacerdos debet militi seculari præferri, quia si ille sit miles Imperatoris, vel Regis: iste Christi c. ante omnia xl distin. & miles Christi præponitur xi. q iij. Iulianus: & ista est conclusio Io. And in c. eo libertius de seru. non ord. & ibi Dominic. & Butr. & Fel. in d. Rub. de maior. & obed col. iij. qui allegant bonum tex. in c. quis dubitet xcvi. distin. vbi sacerdotes dicuntur patres regum, & Principum. Hæc iura inducuntur contra miseros sacerdotes, qui hodie statum suum: & suã conditionem paruipendentes, se faciunt familiares, Cappellanos, & castaldos, & quòd deterius est plerunq; Lenones potentum laicorum, existimantium esse sibi ad unum gradum gloriæ imperare, & inculcare in vilissimis obsequijs illos, quibus data est potestas ligandi, & soluendi. Quinimmo etiam Episcopi, qui faciunt se constitui Magistros, siue maiores (vt aiunt) domus, quod facere de iure non debent. c. inutilem lxxxviij. dist. & per totum, & tenet sin. Lucas de pen. in l. milites col. ij. versi. & not. ex hac lege C. de milit. lib. xij. vbi dicit, quòd Episcopi ab officio cancellariæ abstinere deberent: nam plerunq; sigillant literas Principum: quarum vigore sanguis humanus

manus

manus effunditur per seculi potestates: quod est illicitum: c. sententiam sang. Ne cl. vel Mon. vnde hæc considerans Sacrosanctum Tridentinum Concilium in sessione xxv. c. xxvij. quæ incipit in hæc verba. Non potest sancta Synodus non grauiter dolere. Audiens Episcopos aliquos sui status oblitos, pontificiam dignitatem non leuiter dehonestare, qui cum regum ministris regulis, & baronibus in Ecclesia, & extra indecenti quadam demissione se gerunt: & veluti inferiores ministri altaris, nimis indignè, non solùm loco cedunt, sed etiam personaliter illis inseruiunt, quare hæc & similia detestans sancta synodus sacros canones omnes, conciliaq; generalia, atq; aliàs apostolicas sanctiones, ad dignitatis Episcopalis decorem, & grauitatem pertinentes renouando præcepit, vt ab huiusmodi abstineant. Mandans eisdem, ut tam in Ecclesia, quàm foris, suum gradum, & ordinem præ oculis habentes, vbiq; se Patres, & Pastores esse meminerint: Reliquis verò, tam Principibus quàm cæteris omnibus, vt eos paterno honore, ac debita reuerentia prosequantur.

SVMMARIVM.

De Prioritate, in quo consideretur, quoad Episcopos, & alios. Cap. XIIII.

EPITOME.

1 PRæcedentia in sedendo, & procedendo: ad quid referatur.

2 Prioritas in quo consideretur.

3 In conciliis, quare etiam Episcopi non consecrati interueniant.

4 Præcedentia quod priuilegium sapiat.

5 Habitus professionis, an sit necessarius ad priuilegium consequendum, & quomodo

6 Postea promotus quomodo præferatur primo promoto.

7 Clerici Doctores quo iure præferantur aliis Doctoribus.

CAsu autem quo reperiatur statutum illud in aliquo Gymnasio secundum iuris communis dispositionem debet intelligi, vt loquatur de præcedentia in sedendo, ac procedendo secundum tempus promotionis ad doctoratus gradum, ad hunc enim effectum videtur fuisse ordinatum, & tunc eius dispositio conuenit dispositioni iuris communis, quæ loquitur de præcedentia Episcoporum, & aliorum in concilio assistentium
1 *vel alio in loco. Nam † non ad Ecclesias, sed ad personas talis dispositio refertur, vt in c. fin. xvij. dist.*

quia

quia in actibus huiusmodi ordo debet attendi, c. ex ore de priuil. l. i. C. vt dig. ord. seru. lib. xij. quoniam ille gradus cæteros antecellit, quem labor prolixior, & stipendia longiora ante ire fecerunt .l. nemo .C. de off. mag. officio gloss. in c. cum dilectus in versi. digniores de electio. & sic debet considerari prioritas
2 *in promotione † ad Ecclesiam quo ad Episcopos, & non in consecratione, prout seruatur in capella Papæ, facit l. i. C. de consul. lib. xij. & ibi Bart. licet in fine possit induci in contrarium l. pri. ij. C. de præfect. præt. l. pri. C. de præposi. sacr. cub. lib. xij. hæc iura ad hoc allegat Ro. in consi. cccxxxiij quo ad primum, col. fin. & dum tex. in d. c. fin. videtur loqui de Sessione in concilijs generalibus, licet vtatur hoc verbo; ordinatione, non tamen intelligitur de consecratione, sed de promotione, seu prouisione. c. super. de offi. deleg. ibi ordinet, ubi gloss. declarat huius verbi ambiguitatem, & ratio prædictæ promotionis est, quia in concilijs interueniunt Episcopi,*
3 *† etiam non consecrati, quia fit potius cum actibus iurisdictionalibus, quàm cùm actibus respicientibus ordinem Episcopalem, ideo quo ad ea, quæ attinent ad concilia generalia magis attenditur promotio, quàm Episcopi consecratio, & sic qui præest in ordinatione, hoc est in promotione debet præferri posteriori non solùm in sedendo, & procedendo, & subscribendo, sed in qualibet alia re Bar. in l. pri. ff. de alb. scrib. Bar. in l. pri. ff. de obseg. libert. & in ij. §.*

Prius.ff.de vulg. & pup. nec valet etiam in hoc casu ulla consuetudo, quod minor maiori præferatur, ut per Hostien. in c. pri.de maior.& ob. Quæ omnia (ut ipse arbitror) diligenter considerarunt statuentes in prædictis statutis super Doctorum præcedentia, quatenus extent, attempta promotionis prioritate: Cæteris tamen paribus, non autem indistinctè, nulla habita ratione clericorum, & laicorum. Aliàs, (ut dixi) in superioribus, nulliter statuissent, quod quidem præsumendum non est, maximè, cum de clericis nullum verbum in statutis huiusmodi fieri possit, & fortè non fuit, cum tamen potuissent cogitasse etiam clericos ius Pontificium professuros, ut quotidie profiteri videmus, nec mirum, quia istud est peculiare clericorum iuxta tex. in c. superspec. de

4 *priuileg. Hæc autem præcedentia † sapit quoddam priuilegium honoris, ut sentire videtur tex. in d.c. fin. xvj. dist. hoc idem vult Bald. qui feu. dar. poss. in pri. circa finem. Verum enimuero sciant velim*

5 *† quicunque priuilegio huiusmodi gaudere volunt, & talem prærogatiuam obtinere debent uti in sedendo, procedendo habitu gradui suo conuenienti, dicit Dominus Ant. in cap. pri. de auth. & usu pal. facit tex. in c. si iudex de sent. excom. lib. vi. l. item apud Labeonem.§. si quis virgines.ff. de iur. iur. & sunt inter eos, qui sunt eiusdem professionis, & qualitatis: qui prior est tempore receptionis præfertur,*

6 *nisi † fortè posterior receperit dignitatem à Principe,*

ex

ex hoc enim ille præfertur. l. ij. ff. de alb. scrib. c. per tuas, & ibi Abb. de maior. & ob. Nam lex prædicta dicit, quòd primò scribenda sunt nomina eorum, qui dignitates iudicio Principis sunt consecuti. Hoc facit argumentum: quòd ex quo clerici consecuti fuerunt honoris gradum ab ipso Deo, omnium Principum principe, ut supra demonstratum fuit, nomi-
7 *na eorum primò describenda sunt † hoc est omnes alios præcedere debent, licet sit posteriores in promotione. Concludendum est igitur, quòd in casu præmisso, non obstante prædicto statuto, quòd clerici de iure diuino, de iure canonico, & de iure ciuili præferendi sunt cæteris doctoribus publicè profitentibus, ex quo dignitatis gradum iudicio Principis, Dei optimi maximi fuerunt consecuti, & per alias rationes, de quibus supra, quòd non habet dubium de iure.*

SVMMARIVM

De ordine Prælationum seruando in processionibus per ciuitatem, & alia loca. *Cap. XV.*

EPITOME.

1 PRælationes semper erunt, & quomodo cessabunt.
2 Ordo vel minoritas, quando cessabunt.
3 Ordinum diuersitas propter, quid statuta fuit.

4 Locus dignior in ſedendo, & procedendo, quis dicatur.

5 Ars, quomodo imitetur naturam, quoad hanc dignitatem.

6 Proceſsio eorum, qui ſunt eiuſdem collegii quomodo ordinetur.

7 Clerici diuerſarum Eccleſiarum, quomodo procedunt, & etiam cum regularibus concurrentibus.

8 Inter Clericos ſeculares, quis præferatur.

9 Canonici cathedralium eccleſiarum, quare dicantur Clerici primi gradus.

10 Diſpenſatus per Epiſcopum ſuper illegitimitate, an poſsit conſequi præbendam cathedralis Eccleſiæ.

11 Parrocchialis vnitur canonicatui de ſtilo curiæ, & quare.

12 Canonicus creatus in cathedrali, an poſſit dari delegatis à ſede Apoſtolica, & quare.

13 Clerici Eccleſiaſtici inferiori, quare dicantur ſecundi gradus.

14 Inter Clericos inferioris gradus, quis præferatur.

15 Inter Rectores parrocchialium, quis præferatur.

16 Clerici ſeculares alii, quomodo procedant.

Monaci

17 Monaci, & alii regulares, quomodo procedant.

18 Inter mendicantes, qui primum locum teneant.

19 Prædicatores, quare præferantur in processionibus.

QVoniam autem de materia Prælationis loqui cæpimus, non nulla mihi succurrunt declaranda ad sedandas discordias, quæ quotidie in ciuitatibus oriuntur, inter personas Ecclesiasticas in maximum scandalum laicorum, & vniuersalem animarum perniciem: quod quidem fieri contingit, tam in funeralibus quàm in processionibus ordinarijs iuxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Huiusmodi verò prælationes,
1 *ne mireris, erunt quàmdiu † mundus durabit, nam homines præsunt hominibus, Dæmones demonibus, Angeli, Angelis, sed cum Deus erit omnia in om-*
2 *nibus cessabit omnis prælatio. Non tamen † ordo, vel maioritas, aliquis enim erit maior alio, quia in domo Patris mei mansiones multæ sunt dicit gloss. in c. ad hoc lxxxix. dist. per tex. in cap. in domo de pæ-*
3 *niten. distin. iiij. Nam ad hoc † dispensationis prouisio gradus diuersos, & ordinis constituit esse distinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhibent, & potiores minoribus dilectionem impenderent vera concordia fieret, & ex diuersitate connexio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum.*

singulorum, neque enim vniuersitas dici poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam ordo differentiæ seruaret, & hoc modo prædicto declaratum fuit ex authoritate Gregorij, & Bonifacij Papæ, vt attestatur. Gratianus dicta distin. lxxxix. ante d. c. ad hoc. Concordia autem est, vt vnus præsit alijs, ne fiat schisma c. legimus xiiij. distin.
4 Quo verò ad hanc † prælationem dignior locus in sedendo, & procedendo tenetur ab his, qui propinquiores, & viciniores sunt ipsi capiti, vel superiori, Minus verò digni præmittuntur, & sic digniores subsequuntur, quia sequi honor est, præcedere autem non, dixit Feli. in Rubrica de maior. & obed. Hic ordo notabiliter probatur in c. Perlectus xxv. dist. Unde qui magis participant cum capite debent
5 subsequi, & esse magis vicini, ut ars † imitetur naturam, arg. l. qui bis idem. ff. de verb. oblig. Nam videmus, nobiliores sensus circa caput repositos à natura, & membra minus necessaria magis à capite remota: Probatur hoc per gloss. in. §. alia, quæ incipit hic trahe; instit. de bon. possess. Bald. in l. obseruare. §. ante vero iux. fin. ff. de off. procons. & leg.
6 quòd † procedit in bis, qui sunt eiusdem capituli, seu collegij, siue clerici siue seculares sint. Cæterum † quan-
7 do concurrunt in processionibus, & in alijs communibus actibus clerici diuersarum ecclesiarum, seu religiosi regulares cum clericis secularibus tali concursu præferri debent clerici seculares omnibus regularibus

tali

tali concursu præferri debent clerici seculares omnibus regularibus, quia antiquior, & dignior est cætus clericorum, & eorum institutio, quàm regularium trad. Dom. & Alex. in c. Episcopus xvij. dist. & hæc consequentia fundatur per tex. & gloss. in d. §. fin. xvij. distin. & per alia iura superius inducta, ut ponunt Doctores in c. Nimis, il secondo, *de excess. prælat. c. in his de priuil. Io. And. in c. pri. de offi. cust. & per eundem in cap. qualiter, & quando ij. de accusat. & hanc prioritatem institutam ponderat pro ista ratione, Idem Ioan. And. in*
8 *c. Ioannes de testam. inter clericos † verò seculares debent præferri Canonici ecclesiarum cathedralium,*
9 *quia dicuntur Clerici primi gradus. † Tenent enim primum gradum inter alios; & sunt honorandi magis, quàm alij Clerici, cum magnus sit honor, quem esse canonicum ecclesiæ cathedralis, & dicit Innocentius in c. fraternitatem de sepult. Rot. decisione ccccxlv. in nouis: & est de hoc alia decisio in nou. cxxxvi. voluerunt domini, vbi per hoc infertur,*
10 *quòd dispensatus † per Episcopum super illegitimitate non potest consequi præbendam Ecclesiæ cathedralis propter eminentiam, & maioritatem, quam habent Canonici dictæ ecclesiæ: præalijs clericis ciuitatis, & Diocesis, nam ipsi dicuntur esse pars corporis Ecclesiæ, & Episcopi c. requisisti de testa. cum si-*
11 *milibus. Hinc est † quòd de stilo curiæ datur unio de parrocchiali canonicatui, quia canonicatus est dignius*

gnius beneficium, quando est in cathedrali. c. super eo de Præb. lib. vi. In digniori enim non datur unio, ut quia uniatur parrocchialis cappellæ. Hodie verò contrarium statutum fuit per sacrosanctum Concilium Tridentinum, ut scilicet ecclesiæ parrocchiales præbendis Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, siue aliis beneficiis simplicibus non vniantur xx iiii.
12 Seß. c. xiii. Hinc etiam † in proposito dicemus, quòd Canonicus creatus in cathedrali potest dari delegatus à sede Apostolica per supradicta, prout tenent Doctores in c. statutum. §. i. de rescript. lib. vi. licet textus ibi videatur innuere, quòd canonicatus non sit dignitas, quia prius dixerat de constitutis in dignitate postea subiicit de Canonicis, quasi Canonici non sint in dignitate constituti. Negari tamen non potest, quin sit honor, & præeminentia, & ideo dicebat Panor. in c. causam in iiii. col. de iudic. quòd canonicatus, & præbendæ communiter conferuntur ciuibus optimi status, & conditionis, & quia
13 multum præ aliis honorantur. Alii autem † Clerici aliarum ecclesiarum dicuntur Clerici secundi gradus ut notat Innnoc. in c. sedes de Rescrip. & in d. c. fra
14 ternitatem de sepult. & inter clericos † secundi gradus siue ordinis præferuntur illi, qui sunt intitulati indignioribus ecclesiis, hi autem sunt Cappellani cathedralium ecclesiarum, & Canonici collegiatarum. Omnes isti præferuntur cæteris clericis, etiam priuilegiatis, nisi eorum priuilegia aliter expresse disponāt,

arg. c.

arg. c. licet canon. iuncto c. statutum delect. lib. vi. & ibi per Io. And. & per gloss. in c. accusare. §. sanè de haeret. lib. vi. dũmodo non praeiudicet alteri, quia tunc exponitur simpliciter secundum terminos iuris communis, prout iacet: Feli. in c. pri. de rescrip. in verbo priuilegio, & quia priuilegium Principis semper intelligitur concessum sine praeiudicio tertij, ideo non extenditur in damnum illius c. quàmuis de rescript. lib. vi. Bart. in l. Gallus. §. & quid si tantùm. §. de lib. & posth. col. vlt. etiam si huiusmodi priuilegium motu proprio concessum esset: Io. And. in c. motu proprio de praeb. lib. vi. Abb. in c. pri. de Iudic. Ex his infertur, quòd clerici Ecclesiae priuilegiatae nunquam possunt praeferri clericis cathedraliũ, nec in processionibus, nec in funeralibus, nec alijs actibus publicis, quia ipsi non priuilegijs, sed iuri communi innituntur, vt ex se patet: & quia dicuntur clerici primi gradus, intelligendo semper de canonicis cathedralium: Alij verò dicuntur omnes clerici secundi gradus, vt supra diximus. Hoc autem nemini mirum non accedat, quia graduum, & ordinum distributio vnitatem in Ecclesia conseruat. c. ad ad haec xcix. dist. in ea enim praecedentia, & praerogatiua eundi, & sedendi, maximè in processionibus, funeralibus, & alijs actibus communibus prae caeteris considerantur, quia omne bonum consistit in ordine, dicit Augustinus de natu. bon. nam ordo dat rei perfectionem. vij. q. i. c. nihil l. ij. §. pri. ibi rectè

atq; ordine.ff. ad Velleian. quia legimus, quòd Grues Vna sequitur aliam: ordine literato, quasi instar literarum, quae ordinantur Vna post aliam in alphabeto, Vt exponunt Doct. in c. in apibus Vij. q. pri. Deinde sequendo ordinem procedendi, & seden-
15 di, Vt supra † Plebani praeferendi sunt his, qui non sunt plebani. arg. tex. in c. pri. Ne cler. Vel mon. lib.
16 Vi. & successiue † procedunt alii clerici seculares iuxta ordinem, & antiquitatem suam: Vt in c. i. & in
17 c. statuimus de maior. & ob. Deinde † Monachi, & alij Religiosi Regulares iuxta eorum prioritatem, & antiquitatem secundum gloss. in c. quorundam de elect. lib. Vi. Attempta igitur antiquitate Monachi sancti Basilij procedent primi, ex quo sunt antiquiores, postea Monachi sancti Benedicti. Deinde alij Monachi secundum eorum antiquitatem: post Monachos procedent Canonici Regulares, Vt per Domi. & Card. in dicto cap. fin. xVij. distinct.
18 Post Canonicos † regulares sequentur Fratres Mendicantes, quorum ordo talis est. Nam primum locum tenent Fratres Praedicatores, quia antiquior fuit ipsorum institutio. Anno enim ccxVi. confirmatus fuit ordo ipsorum per Honorium III. quod se facturum anno praecedenti Innocentius III. ipsius prae-
19 decessor promiserat, & etiam, quia religio † quae ordinatur ad docendum, & praedicandum tenet primum locum, & summum gradum, hac ratione, quia quamuis praedicare, & docere sint actus Vitae

actiuae,

actiuæ, procedit tamen ex plenitudine contemplationis secundum Gregorium: Vnde præfertur simplici contemplationi, sicut maius est illuminare, quàm lucere Solum c. licet de regul. vbi dicitur: sicut maius bonum minori præponitur, ita vtilitas communis speciali vtilitati præponitur. Rectè igitur doctrina, & prædicatio silentio præfertur, solicitudo contemplationi, labor quieti, vnde Religiones regulares ad ista deputatæ sunt propinquissimæ perfectioni, hæc faciunt argumentum, quòd Doctores legentes præferuntur doctoribus, qui nō legunt etiam Primo promotis: Secundum gradum tenent Minores: Tertium Hæremitæ Sancti Augustini: Quartum Carmelitæ, c. Auaritiæ, vbi Abb. de præb. & d.c. Quorundam, vbi Gemin.c.pri.cum sua subscrip.de dec.lib.vi. ibi Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus. c.pri.§.sanè de Relig. Domi.eod.lib.ibi. Prædicatorum, & Minorum ordines, & facit tex. in c.quando lxxxvi. distinctione.

FINIS.



LAVS DEO.



Index Capitulorum.



FINIS



ERRATA.

In Cap. primo numero 4. lin. 2. fo 9. ex præsbiteri; corrige. & præsbiteri. Cap. 2. nu. 5. li. 3. fo. 11. sortiri. sortiti. Cap. 5. nu. 10. li. 1. fol. 16. discernēdi. discernendi causa. Cap. eo. nu. 11. li. vlt. fo. 17. ex hore. ex ore eius. Cap eod. nu 16. li. 16. fo. eod. Princeps. Principes. Cap. eod. nu. eod. li. 26. fo. eod. constitutam. constituam. Cap. eod. nu. 19. li. 7. fo. eo. in cle. conuenior. in cap. conuenior. In Epitome. Cap. 8. nu. 10. fo. 22. & quid. & ad quid. Cap. 8. nu. 10 li. 4. fo. 23. iniungitur. in ungitur. Cap. 9. nu. 3 li. 12. fo. 24. incidant. indicant. Cap. eod. nu. eod. li. 13. fo. eo. insigitur. insignitur. Cap. 10. nu. 2. li. 11. & 12. fo. 26. & hic. ethico. Cap. eod. nu. 11 li. 7. fo. 27. insignis. insignus Cap. eod. nu. eod. li. 12. fo. eo. doctoreos. doctores. Cap. 12. nu. 6. li. 6. fo. 31. intelligitur directe. intelligitur directe indirecte. In Epit. Cap. 13. nu. 3. fo. 32. comunicatis. cōmunitatis. In eod. Epit. Cap. eod. nu. 9. fo. eod. comprehendatur an comprehendatur Cap. 14. nu. 3. li. 5. fo. 37. qui præest. qui prior est. Cap. eod. nu. eo. li. 9. fo. eod. in ii §. prius. in l. ii. § prius. Cap. eod. nu. 5. li. 7. fo. eod. & sunt. & tunc. In Epit. Cap. 15. nu. 2. fo. 30. minoritas. maioritas. Cap. 15. nu. 13. li. 2. fo. 40. ecclesiarum dicuntur. ecclesiarum inferiorum dicuntur. Cap. eod nu. 3. li. 4. fo. 39. exhibent. exiberent. Cap. eod. nu. eod. li. 5. fo. eod. conaexio. contextio.

INDEX SIVE ELENCHVS EORVM Quæ notanter dicuntur in Tractatu de Præstantia Clericorum, per eundem Auctorem.





Christi

Episcopus

In mandato

Pœnitentia.

sacerdotis

statuta

FINIS.

Lucæ apud Vincentium Busdracum.

1565.